

MANVDVCTIO AD COELVM,

Medullam continens Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum,

AVTHORE

D. IOANNE BONA

Congregationis Reform. S. Bernardi Abbate Generali. Postea verò S. Rom. Eccl. Cardinali, soluta oratione composita.

Per Fratrem verò PETRVM BOLLA, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ Procuratorem Generalem, in versus elegiacos traducta.





ROMAE, Apud Franciscum Tizzonum. 1677.
Superiorum permissu.

MAnuductionem ad Coelum Auctore D. Ioanne Bona Congregationis Reformatæ Abbate generali, postea verò S. R. Eccl. Cardinali soluta oratione compositam per Reu. admodum Patrem Petrum Bolla Ordinis S. Pauli primi Eremitę Procuratorem Generalem in versus elegiacos traductam, necnon varia Anagrammata, & Epigrammata de Sancto Paulo primo Eremita pariter etiam eleganti Carminum modulatione ab eodem decantata, iussu Reuerendissimi Patris Raimundi Capisuci, legi, & perlegi, sensumque versibus expressum dictæ Manuductionis sensui conformem obseruaui, & nihil in eis Orthodoxæ fidei, Summorum Pontificum decretis, ac bonis moribus contrarium reperi; vnde typis mandari posse iudicaui. Ex Pænitentiaria Sanctæ Mariæ Maioris die 10. Iulij anni 1676.

Fr. Albertus Fleche Ord. FF. Prædicatorum, Sac. Theol. Magister, ac Pænitentiarius Apostolicus in eadem Basilica.

Em. & Reu. Principi

CAMILLO
DE MAXIMIS
S. R. E.
Cardinali Ampliſſimo.





EDVLVS labor, quem pro oportunitate temporis in promouendis rebus nouiciantis in hac Vrbe Religionis meæ adhibuit, Sapientiſſimus ille, Religioſiſſimuſque Vir Ioannes Bona Congregationis reformatæ S. Bernardi Abbas Generalis, poſtea verò ampliſſimus S. R. E. Cardinalis, ſtimulos mihi addiderat, vt in aliquod, quantumuis leue gratitudinis argumentum, Manuductionem eius ad Cœlum, cœleſte ſanè opus, in verſus elegiacos traducerem: Sciebam enim gratum illi id genus ſtudij, ſi dedicaretur futurum, in quo ipſe, cum magna

animi ſui voluptate ſe crebriùs oble-
ctaſſet. Sed heu! necdum benè ad cal-
cem deducto opere, viro longiore vi-
ta digniſſimo anima è corpore, mihi
autem a cæpto opere tollitur animus
proſequendo. Verùm ablatus facilè &
ſpontè mihi reuertebatur animus, vbi
mentis in te oculos Princeps Eminen-
tiſſime conieciſſem; in quo Ioannem
ob ſingularem inter Vos mutui amo-
ris, ac virtutis conſenſum, viuentem
adhuc, & ſuperſtitem, liceret venerari:
qui adeò te ſemper in vita coluit, vt
etiam Supremæ voluntatis ſuæ arbi-
trum, & rerum ac perſonarum quo-
quo modo ad ſe pertinentium Patro-
num ac Protectorem delegerit. Vnde
mihi ad alterum recurrendi; alium, ex-
tra te Patronũ quærendi omnem pror-
ſus ademit facultatem; magnam in te
ſpem erigens, quòd qui res, Clienteſq.
illius tibi commendatos, ſub alas pro-
tectionis tuę recepiſti, pręſentem etiam
libellum, nobiliſſimi Ioannis ingenij
verè genuinum partum (quanquam
non iam ſuo graui illo ſtyli Rhetorici
paludamento ornatum, ſed leuiori mu-
ſa-

ſarum cyclade præcinctum) benigne ſuſcipies, & me humilem olim illius, imò tuum propterea etiam nuncClientem , cum ancillante tibi Religione mea , pari nomini tuo beneuolentia complecteris. Vale Princeps Eminentiſſime & faue.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus Capellanus,

Frater Petrus Bolla, Ordinis
S Pauli primi Eremitæ,
Procurator Generalis.

Ad Lectorem.

Dicet sine dubio Criticus aliquis in vanum me desudasse, quando Manuductionem ad Cælum in versus elegiacos transfuderim; tum quod iam alias liber iste stilo oratorio, sententioso, & perpolito lucem aspexisset, tum quod inutili studiorum generi, vanæ scilicet Poësi, pretiosum tempus impendissem: Sed primum à me telum scuto vulgatissimi illius prouerbij facilè excutiam, quo plurimùm in rebus varietas dicitur oblectare; Et sanè nunc ea viuimus tempora, vt & ipsa multas vicissitudines subeant, & homines varietatum, & nouitatum maximi sint amatores. Quid ni igitur sperem additam à me huic libello styli varietatem aliquibus placituram? quandoquidem perbellè nouerim, ipsis etiam in vestibus, dum alij laxis & vndique solutis delectantur, strictas alijs, & præcinctas arridere: atque etiam in esculentis non semper, nec omnibus dulcia placere, sed nonnunquam suauioribus, praeligi acriora, veluti quæ palatum acuere, & gustum soleant prouocare. Quod verò ad vtilitatem Poëticæ exercitationis attinere videtur; non possum non palam confiteri Musas delitijs assuetas, non diuitijs, delectare potius quàm ditare: attamen honestam esse occupationem, nullus inficias ibit, nisi ignarus honestatis. Quanquam si rem æquiori bilance ponderaueris, ipsum non otiari, præter honestatem, deprehendes quandam habere vtilitatem. Quæ

adeo

adeo non abborrent à veritate, vt Iuuencum Presbyterum qui ſacra quatuor Euangelia in Hexametros verſus transferens totidem libris complexus fuerat, Gelaſius hoc Elogio celebrare non dubitauerit. Iuuenci laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur. Deinde ſi primis Eremi incolis laudabile fuit, ad viſandam ocioſitatem ſportellas texere, & eaſdem, vbi in magnum cumulum excreuiſſent textas, vel retexere, vel Vulcano conſecrare, vt eò feruentiùs ad nouas iterum texendas manum adijcerent, quò nullum prioris ſui laboris veſtigium ſupereſſe cognoſcerent. Cur ego vituperium referam ex honeſtiſſima Muſarum occupatione, quæ me & à Diabolico illo ceruicali (otium intellige) ne male in eo ſterterem excuſſerit, & de Medulla SS. Patrum, ac veterum Philoſophorum eſurientem repleuerit? Caue igitur amice Lector, ne criticum in me dentem exacuas, plus tibi, quàm mihi nociturus, caue, ne dum ego dulces de Helicone vuas guſtauerim, tui ab inde dentes præ liuore obſtupeſcant: Vale.

Imprimatur,
Si videbitur Reu. P. Mag. Sac Pal. Ap.

I. de Ang Archiep. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur,
Fr. Raimundus Capiſuccus, Sac. Pal. Ap. M.

IN-

INDEX CAPITVM.

De

In-

MA-

MANVDVCTIO AD COELVM,

Medullam continens Sanctorum Patrum, & veterum Philosophorum.

CAPVT I.

De fine vltimo hominis. Quàm malum sit ab eo deflectere, quibus medijs, & quo ordine ad ipsum perueniatur.



EMO vitales mundi profusus in auras
I. Iucunda renuit prosperitate frui.
Celsus, & exilis, simili cum Cæsare voto
Vitam felicem viuere pauper amat.
Ast quia primorum lapsu vitiata parentum,
Interno proles lumine cœca venit;
Indagat, quærit, palpat, nec reperit vnum
Verum, supremum, quod tenet omne, bonum.
Excelsa quidam tollit super æthera laude
Si cui cræseas arca recludit opes.
Alter amat fasces, & sceptra potentis adorat,
Si Rex esse nequit, regius esse cupit.

Oh miseram! dici vitam tamen esse beatam
Quam locat extremis impia turba locis.
Sic Labyrintheis implexa ambagibus errat
Mens hominis, vanum fertq; refertq; pedem.
Quando tenere bonum vicinis æstimat vlnis
Milleno recidit longius inde gradu.
Hoc miseranda magis minimè quod gnara malorum.
Lætabunda suis mergitur vsque malis.
II. Implicat hoc varijs hominē sine fine periclis,
Viuere quod faustè gestiat, atque mori;
Sed quid sit, vel qua faustum ratione tenendum,
Luditur innumeris, decipiturque modis.
Quidquid agit, versat, tractat, molitur, & optat,
Omnia retrogrado flumine versa fluunt.
Nam prætergressus certam sine crimine metam
Quæ solet immoto figere corda loco,
Huc it, & inde redit, varium per cuncta ferendo
Pectoris affectum sistere nescit vbi:
Sed velut effuso formice examine ramis,
Pars tenet hanc, aliam pars vagabunda viam;
Quædam sublimi resident in vertice quercus,
At reliquæ terris proximæ ad ima ruunt.
Sic tua mens variat, celso bona quærit & imo,
Mox caro, mox aurum, mox honor ipse placet.
Omnipotens rerum factor, moderatore Olympi,
Ex chaos, & nihilo condidit esse tuum.
Nil natura parens, faciunt nil Numina frustra,
Conditus es, toto corde sequâre Deum.
Vt fuit, vtque manet semper sine fine futurus,
Sic rerum fuerit postera meta Deus.
Hunc cerne, & iusta mentis bilance metire
Cui totum debes, das quid amabo Deo?

Hunc nisi respicias toto conamine finem,
  Excurrat studium, consiliumquè tuum.
Vt loca designas prudens pro fine viator
  Ne vagus incerto decipiare pede:
Sic Deus humanæ teneat confinia vitæ,
  Meta sit actorum vocis & ipsæ tuæ.
Hæc facies donec finem pertingis ad ipsum,
  Dum tua vota Deo plena videre licet.
Quidquid ab extremo diuertit ad altera fine
  Mortales, stygijs præcipitabit aquis.
Quando propinqua moues naues ad littora, dulci
  III. Vt siccam releues flumine ab ore sitim;
Quamuis forte legas bulbos, animumq; relaxes,
  Attamen in nauim semper anhelus eris.
Fronte, oculis, voces, nutus, & signa Charontis
  Obseruans, puppim mox properanter adis.
Hunc tibi sume modum vitæ mortalis agendæ,
  Figas obtutus semper in astra tuos.
Vtere sic mundo, te sicque forensibus adde
  Ne fini subitò deijciare tuo.
Cũcta creata homini proprio famulãtur vt hero,
  Vt pariter domino seruiat ille suo.
Hoc si non faciat, domino diuisus ab vno,
  Multorum seruus pondus inane trahet.
Quotque creaturas prauo sectatur amore,
  Impia tot flexo poplite idola colet.
Quêis minimè plenas multa pinguedine vaccas,
  Aut mites demens sacrificabit oues:
Sed se, diuini pulchram cordisque salutem
  Prorsus sacrilega fert holocausta manu.
Optima cælestis nulli concedit amoris
  Lex, quidquam superũ præter amare Deum.
Quisquis contempto rebus Factore creatis
  Se dedit, omne miser perdidit ille bonum.

IV. Quæ medici doctè impuro de corpore dicũt
Quod mage corrumpis quo magis illud alis.
Hoc etiam cælesti hominum de parte locutos
Esse puta, simili fertur vtrumque pede.
Quisquis enim statuit fœdo transferre malorum
De gremio prauos ad meliora gradus,
Virtutumque bono mentem replere sapore
Peioris vitæ cuncta venena vomat.
Defleat elapsæ commissa piacula vitæ,
Det sibi seuerum supplicijque genus.
Prauos affectus, fibras scelerumque profundas
Eruat, & sæui germina cuncta mali.
Mollius, arctetur iusto moderamine, corpus:
Sensibus, ori, oculis fræna locanda tuis.
Quæ properos retrahunt celsã virtutis ad arcem
Passus, solerti sunt resecanda manu.
Quid trepidas? grauium vel quid fera monstra viarum
Ip e tibi tuta fingis ad astra via?
Fons & meta dabit celso de sidere vires,
Iunges sincerum, velle, beatus eris,
Te tibi subducas, si vis contingere finem,
Hoc magis ille prope est, quo procul ipse tibi es.

CAPVT II.

Cupienti bene viuere morum instructor eligendus est. Qualis hic esse debeat. Officia Discipuli.

QVisquis amat seruire Deo ferat ille monentis,
I. Atq; boni leges, & documenta, Viri.

Quis

Quis prudens tentauit iter sine rege viator,
Imbibit aut artes absque docente graues?
Qui se protulerint virtutis ad ardua nullos,
Vel numeres paucos absque iuuante manu.
Quæ passim facienda homini mandante papyro
Præsentes pariter, posteritasque sciet.
Quid, quando fieri, rebus seruandus agendis
Quis modus? hæc absens haud documenta dabit.
Nemo cibos Medicus, vel pharmaca sana Galeni
Absens ægroto scripserit apta suo.
Vt morbum pellas rectè medicina paretur,
Hoc vt agas, rite vena probanda tibi est.
Non aliter sæuis animi medicabere morbis;
Monstrabis digito quæ facienda putas.
Non satis èst superis Saulum strauisse, nec illum
Iam Domino victas attribuisse manus.
Debet Ananiam Cælo mandante Magistrum
Quærere, quo planam discat ad astra viam.
Cepisti duros virtutis prendere calles
Vincere naturæ semina praua tuæ,
Cum stygijs miscere ferissima prælia monstris,
Ponere de prauis ad meliora gradus.
Qui tibi securum possit præbere ducatum
Certaque demonstret, quære, periclâ, virum,
Detegat absconsas specioso tegmine fraudes,
Et pugnæ dubias formet ad arma manus.
Qui prodesse velit sapiens, fidusque, potensque,
Cuius honor vultum non metus excipiat.
Qui te si fortasse cadas errore doloso,
Non castigatum, sed velit esse bonum.
Cuius vita oculis placeat, non voce probetur.
Qui facit & mandat, præcipit ille bene.

II. Qui nullũ palpat, nec se congressibus infert
Qui vitat mensas diuitis angue magis.
Qui tenuem quamuis fortunam pronus adorat,
Nec terit excelsæ limina opima domus.
Qui vitæ normam, mores, discernit vt ille,
Qui drachmæ nouit punctulà cuncta bonæ.
Qui veluti Medicus vario medicamine doctus
Pharmaca det cordi plena salute tuo.
Et phlegetonteas subtili examine technas
Cernere virtutis signa, malique queat.
Abdita qui facili mentis secreta labore
Scrutetur, cunctos pectoreosque sinus.
Quem tua, non proprij propellunt commoda, tecti
Vt curas animæ sumat habere tuæ.
Qui miti genio, quando fortassis aberras
Te doceat, blandis alliciatque modis.
Quem minimè fugiant astutæ dæmonis artes,
Temporibus valeat quas reserare suis.
Cui te non pudeat, quæ cor mala fortè recondit
Pandere, & abstrusæ claustra aperire domus.
Si talem vitæ possis reperire Magistrum,
Hoc tibi pars maior prosperitatis erit.
III. Huic absconsa tui pandes penetralia cordis,
Quæ virtus ornat, quod vitiumque grauat.
Quæ tibi ab excelso cœlorum missa putaris
Illius ad libram discutienda feres.
Sæpe precare virum, prauos si forte tumultus
In te Signarit notificare velit.
Haud timor, haudque pudor refrænet labra monentis,
Nullum prætereat dissimuletque nefas.
Si quid censurâ dignum tibi inesse negarit,
Non te inculpatum protinus esse putes.

Nam-

Namque timore odij vel ſpe meliora negante,
Veridicus verum ſæpe tacere ſolet.
Tu verò, vrge virum ſinceræ ſenſa medullæ
Explicet, hoc monſtrans quàm bonus eſſe velis.
Ipſe tui næuos ordire retexere cordis.
Vt melior vitæ norma ſit ille tuæ.
Si te corripiat, mores plectatque ſceleſtos
Haud gena ſub triſtes contrahat inde notas.
Aut bonus, aut redeas melioribus aptus ab ipſo,
Non nihil eſt inter tot mala velle bonum.
Diſcere, diſcipuli eſt munus, prodeſſe Magiſtri,
IV. Ne profit, faciet Diſcipuli ingenium.
Nam ſunt qui propriæ naturæ dona ſecuti
Alterius temptim verba ſalutis habent.
Quæ tu cunque doces, dicunt iam cuncta ſciebam:
Commonſtrare alijs nunquid aperta iuuat?
Multùm crede mihi monſtrare iuuabit aperta,
Interdum quæ ſcit mens tumulata tenet.
Non docet ille monẽs, memori ſed mẽte repoſta
Suſcitat, elabi, nec ſinit illa tibi.
Intrudenda animo quamuis iam nota putentur,
Talia ſæpe animus diſſimulare ſolet.
Erigitur pulſu virtus concluſa medullis,
Verbere, & igne probas balſama, thura crocũ.
Hunc pudor ille malus, vitium puerile retentat,
Hic mala phræneticus dente tacente premit;
Cui ſi fors Medicus curas adhibere pararet
Ille vocat furias, ille acheronta mouet.
Scilicet ora teter concludit Pluto ſilentum.
Sperans profectus ille tacendo ſuos.
Et verò quamuis pudibundum corporis vlcus
Ponere cunctorum non pudet ante genas..

Hæc ſunt cauſa mali totius, ſemine ab iſto
Quod premit, atque grauat, quod cruciatque venit.
Inficiunt totum mellita hęc toxica mundum,
Surgentis ſoli deciduique plagas.
Dum fiunt latitant, toto ſe pectore facta
Produnt, tunc quàm ſint experière mala.
Torturi quoſdam diri fætore latrones
Iungebant viuis mortua membra viris.
Conſequitur ſimilis peccantes pœna, manetque,
Iunguntur pœnis, effugioque carent.
Vt mala non facias, niſi quid patiaris acerbi,
Patrando, multùm tu patiêre mali.
Vix ſcelus admiſſum primordia cępit habere
Iam grauidum, pœnas, ſuppliciumque parit.
Pallida terribilis nata eſt hinc mortis imago,
Orcus perpetuo flammat ab inde foco.
Ergò flagitio pectus purgabis ab omni,
Ore, dolore, Deo debita quæque dabis.
Non grauiora modo vitabis crimina vitæ,
Sed quæ viſa tibi fors leuiora forent.
Quæ funeſta licet non figant vulnera cordi,
Sternunt mortiferis attamen ipſa viam.
Sed quid amabo refert, an guttis naufraga fundum,
Nauis, an excelſis fluctibus hauſta petat?
Quo vitare magis valeas, nec crimina vites
Hoc turpant mores, commaculantque magis.
Hoc pudor eſt maior ſi te victoria fallat,
Quò mage qui vicit debilis hoſtis erat.
II. Nunquam virtutes animi plantabis in agro,
Nec libertatis reſtituêre loco.
Quem geris affectum ni ponas crimina verſus:
Corpore ne rectus, deijciare animo.

Scilicet humanum ſcelus eſt maledicere Diuis,
Et ſuperum iuſtis pondus inane dare.
Aſt tibi ſi proprias vires tentare placebit
Spe magis inuictas experiêre tua.
Haud quia lucta grauis,non miſces prælia miles,
Sed timido talis cernitur illa tibi.
Quæ nunc forte paues, tandem ridebis in vſu;
Incipe, nec robur tempſeris ipſe tuum.
Non ſolus cœli miles pugnabis, inerſque,
Velle tuum dederis, Numina poſſe dabunt.
IV. Omne pugil vitium facili ſuperabis arenâ,
Poſtremum credens quemlibet eſſe diem.
Quid te tam firmis deuincit funibus orbi?
An quia diſceſſum non meditâre citum?
Nulla dies tranſit qua non per funera, mortis
Forſitan oblitus commoneâre tuæ.
Sed verò in medio turbæ morientis aceruo
Haud quidquam voluit mens tua morte minus.
Nil tam ſæpe tuum quàm mors fera lumen oberrat,
Aſt omni citius re fugit illa tibi.
Quæ te, quæque tui ſoluat conuiuia ventris
Adueniet nulli diffugienda dies.
Tandem monſtrabit diſcuſſa albugine vitām
In tenebris tractam lux reditura tuam.
Prodeat in medium toto de tempore vitæ
Virtutis ſolidæ clara vel vna dies.
Quære, require, refer, produc ex omnibus vnā
Quæ nullis vnquam ſordibus atra fuit.
Prima tibi talos inter defloruit ætas
Decoxêre aliam fœda libido, ioci.
In vitijs præceps tranſacta Iuuenta nefandis,
Iam dolor, & ſcelerum fructus amarus adeſt.

Viuere ſed multi nondum ſe ſcire fatentes,
Deuictas fato reſtituère manus .
Sic eſt difficilis vitæ doctrina necisque !
Quam tamen in ſenio diſcere tu cupias .
Maxima turbatæ eſt mentis peruerſio, tandem
Viuere velle, mori quando neceſſe foret.
VI. Quo te damnorum malecautus homuncio iactas ?
Talibus ergò fluunt vita, fideſque modis ?
Tranſitus eſt vmbræ tempus,leue vita minutum,
Aut puncto quidquam ſi minus eſſe poteſt .
Vnum ſiſte diem, duntaxat ne fluat horam
Retrahe, pone moram temporibuſq; breuem.
Sed fruſtra : citiùs rapient te, cunctaque tecum,
Quàm ſiſtant fluxum pernicioſa ſuum .
Huic ergò cœli poſtponis gaudia puncto ?
Gaudia cum ſummo ſemper habenda Deo.
Corpore pro fragili cernis quæcunque neceſſe,
Illa tibi grandis ſollicitudo parat :
Aſt animæ vix vlla mouet te cura iuuandæ,
Alterius veluti, non foret illa tua .
Si languet corpus diſcrimina cuncta ſubire
Vt redeat ſanum credo paratus eris ;
Sed languenti animæ medicam ſupponere differs
Dextram , nec ſentis quàm miſeranda gemit .
Quando tibi dictũ ſumas medicamen amarum ,
Pharmaca nec prendens ſumis vtraque manu?
Parua iubent ſuperi vitam ſine fine daturi :
Diſplicet at pigro pauca vel ipſa ſequi .
Si litem facias , tunc mente, labore, loquela ,
Omni curabis ſubſidijque modo :
Vt quos cura manet motum decernere cauſam,
Hanc placidam reddant , proficuamque tibi .

Iudi-

CAPVT IV.

De Gula. Eius mala, & remedia. Quæ sint indicia deuictæ gulæ.

I. CHristiadum plenos noscens certamine soles.
Ardua damnosæ bella mouebo gulæ.
Omne scelus stuppâ succensum flammat ab istâ
Ardet ad orcinos & sine fine rogos.
Hoc primum vitio primi cecidêre Parentes
Principium diræ constituêre necis.
Gustant aduersis quando mala pessima Diuis
Interitum citiùs quàm peperêre genus.
Proh dolor hinc hominem duplex lethumquè laborque
Corporis ac animæ conficit vsque malum.
Quo semel orcinus telo nos fixerat hostis,
Hoc velut expertus sternere semper amat.
Hinc stupor, hinc languor, surgunt hinc tædia vitæ,
Scurra, loquax, scelerũ profluit omne chaos.
Hinc venus, hinc rixæ, mens hinc offusa tenebris,
Menteque sub cœca quæ fera monstra latent.
Diuitis exhaustas Pactoli cernis arenas
Fascibus & fustes præripuisse vices;
Longos morborum tractus, mortemque citatam
Ventorum pennis accelerasse gradum.
Taliter ingluuies nostris dominatur in oris!
Aes, decus, ac vitam, scilla tremenda rapit.

Magna

Nec prece cognoui ventrem, nec lege teneri,
Quotidie census exigit ille suos.
Hinc dolus, hinc laqueus ventris subtilior hæret,
Sæpius incauto quo capiêre pede.
Nam præstare volens auido sua iura palato,
Seruis delitijs nescius ipse tuis.
Quàm tibi sufficiat modicum, vis scire famenti?
Lanx, corpus, stomachum, teque probata probet.
Nil sibi mensuram præter natura requirit,
Pauca huic sufficiunt, luxuriæque nihil.
III. Non petit atagenis vel pinguia fercula turdi.
Quem dare vel gustum mugilis hepar habet.
Quod satiare potest, quid sit, non pensitat illa,
Crede mihi non est ambitiosa fames.
Post breue solamen lapsis per guttura ferclis
Vilibus arrident haud pretiosa magis.
Esuriens comedes, sitibundus pocula sumes;
Hoc poterit nemo iure negare tibi.
Sed num plebe Ceres, veniat vel Principis aulâ,
Vndaque sit multà frigida facta niue.
An tepidam potius vicinum flumen inundet,
Naturæ melior seligit ordo nihil.
Vnica naturæ scito mandata iubentis;
Sit sedata fames, sitque leuata sitis.
Quos mare longinquum, præbent quos flumina pisces,
Aut quas aëreus missitat axis aues,
Rapta vel vmbrosis syluis armenta ferarum,
Plenaque de vario climate cella mero,
Cinnama mella, piper, dulcissima zacchara quid sunt?
Sunt nisi inexpletæ tormina grata gulæ.

Helluo sit dapium quamuis Epicurus ; at illi,
Excitet vt gustum sobria mensa placet .
Nil adeò lautum, longus quin nauseet vsus,
Insipidumque nihil, quod fame non sapiat.
Oh miser ! oh sani quem copia fecit egenum
Consilij ! limen mors cubat ante tuum :
Nil tamen inde minus pascunt conuiuia corpus,
Pinguior vt caderes vermibus esca breui.
Te precor esca quibus venias epulanda teuolue,
Carneque nutritus, mente premare, caue .
Sit tibi communis victus, facilisque paratu,
Haud bursæ, haud ventri sit grauis ille tuo .
Quam paucis egeas nosti, cum multa deessent ;
Corpora stant victu, luxuriaque cadunt .
IV. Non te spernentem laudabo superflua, sed si
Debita contemnas, laude per astra geram .
Siccos quando fami panes. & debile vinum,
Persuasus credas potibus esse satis .
Aut quando passim quæ proferat germina cāpus
Tam tibi quàm pecudi nata fuisse scies .
Tunc te suspiciam, solas dum corporis, esu .
Spectabis vires, æthereumquè decus .
Pinguia Magnatum quando conuiuia spernens
Contentus viues pauperiore cibo .
Ac velut inuitus mensas accesseris ipsas,
Pharmaca vt ægrotus sic alimenta petes .
Quando voluptati, nequeas quam tollere, gustus,
Aptum miscebis qua potes arte modum;
Quando tibi fuerit morbo cogente molestum
Sumere consuetis commodiora cibis .
Angelico demum mentis candore coruscus
Corporeæ quando labis inanis eris .
Non etenim tenui ieiunus carne videtur,
Noscitur e castis moribus ille magis .

C A-

CAPVT V.

De luxuria quàm turpe sit hoc vitium. Quàm facilis in id lapsus, & quomodo euitandus. Voluptas animi sectanda, quæ solida est.


I. QVamuis omne nefas veluti deforme, cadauere,
Non nisi tormentum sensibus esse queat;
Quæ tamen humanæ miscet contagia vitæ,
Turpior est cunctis sordibus illa lues.
Turpe genus sceleris, cuius vel nomen in ore,
Versari Paulo præcipiente nequit.
Hinc pudor ille grauis, iustæ trepidatio mentis
Quæ semel admisso crimine corda quatit.
Hinc commissa viuat fragilis celare Iuuentæ,
Atque perire magis quàm reserare nefas.
Vix huic infixus limi consurget abysso,
Spesque super tali parua salutis erit.
Ni cui succurrat diuina potentia, castus
Viribus humanis viuere nemo potest.
II. Ergò age, mitte polo calidi suspiria cordis
Quæ dare solus habet munera, posce Deum.
Furtiuos subitò Veneris depelle susurros,
Flammiuomos veluti pellis ab æde focos.
Væ tibi; væ fœdos motus si corde volutes,
Illæso flammas quis tulit oro sinu?
Aduerso castrum miscens cum milite verba,
Vicinæ signum deditionis habet.
Otia, delitias ventris, reprobosque sodales,
Tigride crudeli peiùs, & angue fuge.

Os mutum, contracta manus, sint lumina-
pressa,
Fœdiloquis auris sit tua surda sonis.
Non locus audacem faciat, virtusque probata:
Corruit hic virtus, non loca sacra iuuant.
Circumeunt quædam Veneris præludia iustos,
Tentant affectus, hospitiumque rogant.
Nunquam magnus erit spernit quicunque mi-
nuta.
Incipit e paruo grandior vnda sinu.
III. Aspice magna tui ne te fiducia fallat,
Quisquis non trepidat labitur ille magis.
Oh quanti postquam fleuêre piacula, vitæ
Postquam correctæ signa dedêre suæ,
Magnanimo postquam stygium vicêre triumpho
Hostem, infernalis tetraque monstra domus.
Lumina fœmineo figunt malecauta decori,
Patrantesque scelus ditis ad antra ruunt!
Ingenium, probitas, subeunt discrimina vires,
Sit sanctus, sapiens labitur ille tamen.
Quæ precor ergo tuā vexat dementia mentem
Te stare vt credas tanta vbi turba ruit?
Hæc sed inexperto non sunt persuasa Ruperto
Qui cecidisse alios, ni cadat ipse, negat.
Adiutrix concessa viro transfertur in hostem
Fœmina, damna viris, interitumque parat.
Non leo crudelis, basiliscus, vipera tigris,
Astu, dente, oculis, sunt nocitura magis.
Ah cuicunque salus cœlo speratur ab alto,
Fœmineos vultus, colloquiumque fuge!
Quo semel est imbuta recens, nunc seruat eundē
Perfida costa modum; decipit illa virum.
IV. Non vitæ probitas animetq; intentio recta;
Pelle sub agmina monstra cruenta latent.

Prosi-

Prosilit hinc castæ grandis fiducia menti,
  Incauti visus blandula verba, ioci.
Munera crebra fluunt, cõsueta modestia languet,
  Iunguntur dextræ risus vtrinque calet.
His, pudor innatus probioris pectoris hospes
  Profugus ad geticum pellitur vsque solum.
Omne malum lento penetrat præcordia passu,
  Nemo repentinus prodit in orbe malus.
Alterius qui sola prius vestigia sexus
  Horruit, hunc oculo nunc petulante petit;
Accedit propiùs, labro ridente salutat,
  Blandidula Cyprios excitat arte focos.
Tandem succensis feruent præcordia flammis,
  Atque prius damnum quàm sciat illud, habet.
Hac primum mentis lumen caligine tinctum
  Est lento in noctes proruitura pede.
Non se non superos, non respectando decorum
  Portio cælestis fixa manebit humi.
Interea donec stygio sopiatur ab igne
  Semper edet cordis cypria flamma domum.
V. Oh miser! oh fœdi demens sectator amoris,
  Cuius tam propero fine volupta perit.
Expers consilij quid stulta indagine quæris
  Gaudia fallacis mox peritura soli?
Gaudia si placeant, placeant æterna: populorum
  Qualia supremo condidit axe Deus.
Sic tibi deliro arrident euanida puncto,
  Vt præsint, durant quæ sine fine bonis?
Te precor erectos tollas super æthera vultus,
  Cerne polo plenos prosperitate viros.
Horum delitiæ, quondam cum puluere panis,
  Mistaque cum fletu procla fuêre suo.
Quos si mortali videas in carne, videbis
  Præter sorditiem, pauperiemque nihil;

Con-



Continuis madidi lachrymis, vigilesq; precando
 Egerunt mæstos & sine sole dies.
Equuleis, gladio, tormentis, sanguine, morte,
 Cœlorum planas constituêre vias.
Parte sed aduersa plutonia regna reuise,
 Atque nota piceas lumine ditis aquas,
Cerne ibi perpetuâ flammâ tenebrisq; sepultos,
 Et quos infamis furca rotæque tenent.
Tantaleam cognosce sitim, cognosce mephitim,
 Quam styx sulphureis impete fundit aquis.
His quōdam illudens carnis malesuada voluptas
 Pœnalis miseros trusit ad ima stygijs:
Ah serò nimiùm discussa albugine mentis
 Discunt delitiæ quàm nocuêre sibi.
Altiùs ista tui subeant penetralia cordis,
 Crede, paue, horrendum perpetuumq; malum.
Quidquid delectat puncto transibit in vno,
 Permanet æternùm quod cruciare solet.
VI. Sortis at humanæ lætandum suadet origo,
 Ad tristes lessos interitura breui.
Ergò sit, immensæ pectus demergere voluptæ,
 Quæ bene composito profluat alma sinu.
Læta, probos veluti fidi comitantur Achates,
 Non foris, in gremio gaudia quære tuo,
Quæ caro, quæ Sathanas, præbet quæ gaudia mundus
 Molle est, fucatum, deciduumque bonum.
Ast animi excelsa, inuicta, est tranquilla voluptas,
 Nescia mæroris delitiosa quies.
Non pudor hanc vllus sequitur, nō casus acerbus,
 Destituit dominum nec fugitiua suum.
Quam quicunque petis blandè fruiturus habere,
 Gaudia sunt carnis despicienda tibi.

Vai-

Vnica sub toto vera est hæc sole voluptas,
Delitias mundi posthabuisse Deo.

CAPVT VI.

De Auaritia, malitia eius perstringitur: Collatio Pauperis, & Diuitis. Opum fallacia, & vanitas.

I. COr tacito penetrans malesuadum crimen auari
Lapsu, virtutis cortice cuncta tegit.
Quære, nec inuenies, qui se fateatur auarum,
Contractæ causas non habeatque manus.
Vt sibi, prospiciatque suis hic congerit aurum,
Consulat vt miseris illud & alter agit.
Ille lauaturus fædæ contagia vitæ
Instruit aurato balnea fulua tago.
Sic hic, sic alter, cumulat sic tertius aurum.
Ast nihil in fines quos posuêre ferunt.
Quin noua solliciti toto conamine tentant,
Turgeat vt cumulus diuitiore penu.
Interea questus inter pretiosa teruntur.
Tempora, vita perit, cui cumulantur opes.
Vt non vnda sitim sitibundo visa leuabit
Ni gelidam admoto gutture potet aquam.
Sic res nulla auidum plenè satiabit auarum
Cuius, gaza nequit mentis adire lares.
Pars hominis melior cœlo submissa superno
Non aliter, solo fit satiata Deo.

Quid-

II. Quidquid diues opum Cræsus posséderat olim,
Congestum teneas scrinio auare tuo :
Primus felici, nulli sis sorte secundus,
Maior, quo nullus, sis Salamone licet,
Terram marmoribus, sternas laquearia gemmis,
Aurea pergentis sub pede strata gemant.
Picturæ, statuæ, quæcunque stupescis in arte
Hactenus haud visum sint anathema domus :
Omnia non satiant, reddunt maiora famem.
Hocce magisterio quærere plura scies.
Quid tibi ferratâ prodest quod conditur arcâ,
Alterius, si plus quàm tua, semper ames ?
Crede, illi spatium largi non sufficit orbis,
Tanta cui nequeunt exsaturare famem.
Oh vtinam vero rationis pondere libres,
Quæ mala diuitiæ, quæ nocumenta ferunt !
Germinat inde dolus, crudelia prælia surgunt,
Rumpitur inde fides, proditioque venit.
Tolle precor toto si possis orbe tenacem,
Optatæ pridem munera pacis habes.
Mortales inter taceat vel nomen auari,
Ambitus vani nullus honoris erit.
III. Lance tibi iusta Cræsus libretur & Irus,
Præbeat hic vultum, præbeat ille genas.
Fronte serenata præfert hic gaudia mentis,
Dum curas alter spirat ab ore graues.
Afflicti sæuo diues sub vulnere cordis
Externæ tantùm iubila frontis agit.
Pauper at excelsæ residens ad culmina mentis,
Iucunda internæ basia pacis habet.
Anxius ad questum, rerumque pericula diues,
Fortunas varias vt fera fata timet.

Alter

Alter tranquillæ fruitur dulcedine vitæ,
Quod ſatis eſt optat, perdere nilque poteſt.
Oh quàm ſpinoſos Cræſus trahit vndiq; ſoles!
Quàm Codrus placidas, & ſine nube dies!
Vulnera ſpinarum quiſquis non ſentit oportet
Lethargo preſſus ſit grauiore nimis.
IV. Quamuis cepta tuæ conamina mentis auare,
Ad tua tranquillo flumine vota fluant.
Excelſas alter ſtupeat quas feceris ædes,
Innumeras alter, quas trabe ducis opes;
Non ſatis expletus terrâ domineris & vndâ,
Imperio cedant ſubdita cuncta tuo:
At decreta polo veniet non mobilis hora,
Omnibus, & vitâ, qua ſpoliante cades.
Te pueris ſimilem ſerò mirabere tandem,
Qui pretioſa nimis, ludicra quæque putant:
Calculus hoſce leuis fallit conſpectus ad vndas,
Detinet & varius lumina fixa color.
Geminis inſanis, ah diues, nôn minus & auro,
Oblectant pectus terrea quando tuum!
Siccine diuitias benigni munera cæli
Proijcienda mihi non retinenda putas?
Abſit vt hac ſtringam durus te lege licurgus,
Quas dederit teneas quin volo Numen opes:
Sed nolim raptas, alio vel crimine partas,
Quaſue tibi grauior ſollicitudo daret.
Tecta domus penetrent nummi, non ſcrinia cordis,
Quos ad vota Dei linquere promptus eris.
Quidquid fur poſſet, ſubitus vel perdere caſus,
Protinus hoc virtus ſubtrahat ipſa tibi.
V. Normam Chriſtiadum mores compone ſecutus.
Non quod turba facit, quod decet illud agas.

Non moueare togâ reliquos ſuperare vel eſcâ ;
Si frugalis eris ſat bene diues eris .
Paucis crede mihi viuit natura refecta ,
Quo non eſuriat non ſitiatque petit .
Forte ſitim ſola criſtallo poſſe leuari
Credis, quâ pauidus corde tremente bibas ?
An mollem gladius Cererem non ſcindet acutus
Si nullum capulo forte niteſcat ebur ?
Fictile vas manuum ſordes non excipit atras ?
Nec niſi ab aurata lampade lumen habes ?
Auri mancipium clarè monſtratur, ab auro
Expectanda cui forma decuſque venit .

CAPVT VII.

De Ira, Character irati . Effectus, cauſæ, & remedia iræ .

I. Corripe tela manu, gladio præcingere miles .
Impete rancores monſtra cruenta ſtigis .
Fac prior inuadas , hominis ne Schemmate tardum
Deſpolient, ſimilem conficiantque ſibi .
Ira ſui nuſquam veluti dementia compos ,
Sanguineos fontes , fataque dira ſitit .
Neſcit cognatos, neſcit rabiata decorum ,
Vt feriat reliquos, vulnera in ipſa ruit .
Prorſus par grandi furijs agitata ruinæ ,
Quæ nocitura alijs, plus nocet ipſa ſibi .
Cerne viri vultum, calida qui feruet ab ira ,
Qualiter irato cedit ab ore decor :

Quî flagrant oculi, venæ ſurguntque tumentes,
Horret Cæſaries, quaſſàque labra ſtrep: nt;
Dens edit fremitus, deſpumant ora furores,
Plena eruptura collaque voce crepant.
Fœdatur facies, rugas in mille plicatur
Planities frontis, genua, manuſue tremunt;
Vellantur crines, ſciſſæ iactantur in auras
Veſtes, & multo verbere pectus hiat.
Quos animo ſtatus, quos vultus fingis ab intus
Cuius fœda adeo ſunt ſimulacra foris?
Ignibus ardentes, cinctas ſerpente Megæras
Rictibus horrendas finge Erebique Deas:
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora tenebit,
Crudelis, rabidus, barbarus, atque ferùs.
Cætera ſub cœcis norunt latitare tenebris
Crimina at effrænis proſilit ira foras.
Ac veluti tectis qui iam caput extulit ignis
Quidquid in occurſum venerit, omne ferit.
Amplius efferuet ſi fortè extinguere velles,
Non patitur frænum, reſpuit illa modum.
II. Omne nefas proprijs retinetur finibus arctũ,
Arctari nullis finibus ira poteſt.
Rancor vbi feruet ſuperas penetrabit in oras
Impetet ipſummet morſibus ira Deum.
Nec modo lædentes furialis flamma perurget
Læſuros tantùm ſuſpicione, ferit.
Lædere qui potuit iam tum læſiſſe putatur;
Eſt adeò vitijs ingenioſa ſuis.
Verbera, ſæpe cui neſcit, furibunda minatur,
Deme alios, in ſe ter ſcelerata fremet.
Non ſemper læſi furimus: qui ſæpe nocere
Non potuit, pœnas ſuſtinet ille graues.
Quid rogo conſciſſæ veſtes, abiectaque vaſa,
Quos frangis calami quid nocuêre tibi?

Mensula firma minus, subuersaque pocula casu ;
Ingratus stridor, vox releuata magis :
Sæpius hæc nostram nullo de crimine bilem
Omni quæ sensu sunt viduata ferunt.
III. Aspice quî sordent vernante cadauera campo,
Qualiter effusus flumina sanguis agit.
Conuulsas ædes, grandes mireris & vrbes
Nosci ruderibus vix potuisse suis.
Pinguia regna olim Bacchi, Cererisque reuise,
Hæc falcem renuunt, præla nec illa petunt.
Vnica, tot, tantis mundum sepelire ruinis
Ira potest ; nulla peste nocente magis.
IV. Ergò iræ manibus nunquam subdenda cruentis.
Insultus primos mens generosa premat.
Feruida nam primos aditus si fortè subintret
Non feret imperium, quod volet illud aget.
Si semel admittas leuiter quæ pellere possis,
Suscipient nullum perniciosa modum.
Illatum portis quando detruseris hostem?
Pugnat fortunâ fortior ille suâ.
Pars directa magis mundi, vicinaque cælo
Non coit in nubes, nec furibunda tonat.
Mens quoque sublimis, cælo cognata superno,
Quæ patitur tacito pectore damna præmit.
Non iacit irarum flammantes ore sagittas,
Verborum presso fulmina dente ferat.
Scilicet igniuomi non tollunt damna furores,
Sed mala succedens asperat ira magis.
Qualiter hærentes volucris dum discutit alas,
Plus viscum pennis implicat illa suis :
In sua sic omnis rancor tormenta redundat ;
Amplius ira nocent, quàm nocuêre mala.

Rem

Rem bene qui librat, nec læſus vindicat vllum
 Magnanimus ne quæ ſigna doloris agat.
Vltio, deuicti monſtrat fera vulnera cordis,
 Paruula quod grauiter lædere muſca queat.
V. Vox blaſphæma tuas quando diuerberat aures,
 Quæ te, non illam, verba loquare, decent.
Haud peruerſa putet tantùm ſibi turba licere,
 Vt ſolem mentis nubilet illa tuæ.
Omnipotēs Numen reprobos tolerauerit omnes,
 Vnum deterior tu tolerare nequis?
Cum poſſis proprij non deles crimina cordis,
 Tollere quæ nequeas aſt aliena cupis?
Pauca forent totū quæ ſunt tormenta per orbem
 Tot ſcelerum, ac erebi ſi paterêre reus.
Attamen horrendo deſpumas ore furorem,
 Cum te vel leuiter vox inimica ferit,
In caput ipſe ſuum ſtringit qui vindicat enſem,
 Peccat, & immergit ſe Phlegetontis aquis.
Hoc tamen offenſo potuit maleſanus obeſſe
 Quod tibi parcenti parceret ipſe Deus.
VI. Tranquillo vitæ currant vt tempora fluxu
 Irarum ſtimulo, ſuſpicione, care.
Obuius hic iuſtum forſan ſubtraxit honorem
 Cęptum ſermonem rupit & ille tuum:
Alter quid tacitè ſocij ſubmiſit in aures
 Fixos in te oculos dum loqueretur habens;
Credendo natura malis propenſior, iræ
 Has ſubitò cauſas ſuſpicioſa dabit.
Contemptus maior ſurgit de crimine gloſſæ;
 Mitius ergò velim res metiare tuas.
Credere ſæpè placet verbū quod vulnerat aures,
 Et ſine præmiſſis damnificare reum.

Donec turbati cordis nox atra fugetur
Exſpecta : verum lux reditura dabit .
Rebus in exiguis teſtemque, fidemque requiris,
Condemnas ſocium ſed ſine teſte tuum .
Vt retulit quiſquam ſubitò ne crede relatis ;
Eſt etenim, credit qui citò, corde leuis .
Vt fallant alij ſpargunt mendacia , quidam
Deceptus fallit : fallit at abſque dolo .
Quod clam quis dicit, veluti non dicat habeto;
Credens ſecretò proruit ira foras .
Non audire iuuat ſemper , nec cuncta videre :
Quis malè contemptum neſcius oro tulit ?
VII. Cum te quis verbo lædit fortaſſe ſiniſtro
Num facias reliquis hoc prior ipſe , vide .
Site reſpicias, iræ moderamina pones ,
Sæuior in ſocios nec Rhadamanthus eris .
Qui precor alterius plectis contagia vitæ
His caput immerſum qui geris ipſe tuum ?
Falſiloquos cunctis maior mendacibus, arctas,
Quamque negas alijs, exigis ipſe fidem.
Sic tibi per reliquos bacchandi fræna relaxas ,
Viſque alijs in te iuris habere nihil .
Si tua facta legas,numeras cum vulnera cordis ,
In proprio gremio cauſa doloris erit ,
Nemo mortalem viuit ſine crimine vitam;
Communi fueris mitior ergò malo .
Et licet innocuus forſan nil tale patratis ,
Sed poteras : qui ſtas deijciare, caue .
VIII. Res noua ſi noceant hoſtes ? ſi lædat amicus?
Offendat ſeruus , natus & ipſe grauet ?
Vt roſa vere nouo, fructuſque æſtate redundant :
Præbent humani ſic mala mille dies .

Dum

Dum citius populum velles transire frequentem
Hic lapsus, fueras nonne retentus ibi ?
Tempora sic vitæ multo permixta tumultu
Currunt, hinc obex, inde querela venit.
Sed malus offendit, communi indignus est aura,
Quid mirum ? ipsius muneris illud erat.
Tu quoq; si bonus es munus completo bonorum,
Qui nocuit reprobum, fac tolerando bonum.
Sed parilem vitæ famam mihi sustulit alter,
Quid faciam ? infamis siccine luce fruar ?
Eia age, dicta fides,facinus quoq; mitiget error,
Aut prior offensam quod tulit ille tuam,
Quæ prior ipse facis, tolerare iniuria non est,
Aequum semper erat cedere iustitiæ.
IX. Qui sedent primis cœlo indulgente cathedris
Sæpe iræ causas quêis moueantur habent.
Sic tamen illud agent, mens vt præcurrat ad iram;
Hæc, veluti dominam serua, sequatur eam.
Qui scelus admisit iustè plectatur oportet,
Ast irâ, vindex, ne mouëare, caue.
Vir bonus irasci fœdis si debeat actis
Transmittet nullos absque furore dies.
Si quoties causæ poscunt efferueat irâ,
Consumptus pauco tempore, morte cadet.
Affectu Medicus quo fertur pronus in ægros
Hoc offendenti corde benignus eris.
Qualiter haud solis feruore moueris ad iram,
Conscius hoc fieri quod tulit ordo rei :
Taliter, offensus ne cures verba malorum,
Reproba turba suum quod putat esse, facit.
Lædere qui nolit lædentem,sat vindicat ipsum;
Nam dolet hic, quod non sentiat ille malum.

Sed temni fædum est, famæ læsumque decorem
Vindictæ simili non reparare nota:
Quin mage contẽptus turpe est formidine tangi.
Contemni nemo dignus horrore timet.

CAPVT VIII.

De Inuidia, & Acedia. Vtriusque descriptio, & curatio.

I. INuidus ante furit proprias in pectoris ædes
Amplas in socij quàm truculentus opes.
Crimina cum vindex à tergo pœna sequatur
Huic vni vitio pœna præire solet.
Inuidus alterius rebus macrescit opimis
Torquetur socij prosperitate miser.
Hæc quemcumque semel pestis comprêndit acerba
Ipse reus, vindex, suppliciumquè sibi est.
Certis sunt reliquæ sæui virtutibus hostes
Culpæ, ast hæc cunctis est inimica bonis.
Prælia cunctorum miscet cum fonte bonorum,
Cui, natura tulit participare bona.
Aethereis pariter contraria sedibus audet,
Augent quæ socia prosperitate suam.
Christiadas inter communem lædit amorem,
Gestit ad hostiles qui generosus opes.
Aeternas tandem pergit confundere leges,
Commoda nostra alijs quæ rogitanda iubent.
Qualiter afficiens quidam tua lumina morbus
Obiecto lædi splendidiore facit:

Inui-

Inuidus haud aliter clara virtute propinqui
  Grande ſub offenſo pectore vulnus habet.
II. Sit licet hoc prorſus cognatū crimen auerno;
  Attamen haud ſocijs inuidet ille ſuis.
In genus agnatum mortalis dæmone peior
  Infremit, horreret Pluto quod ille facit.
Quiſquis palleſcit vitio ſignatus ab iſto
  Nil habet excelſi, pectore repṫat humi.
Qui melior fuerit reliquis, non inuidet vlli,
  Qui ſe peiòrem credidit, ille fremit.
Inuidiæ moritur, cæli qui viuit amori,
  Perpetuas toto pectore anhelat opes.
Nunquam Vir Principes abiectas pallet ad artes,
  Inuidet aut miſero lucra parata viro.
Grandia ſublimi verſante negotia mente,
  Haud deſcenſus ad hæc inferiora datur
Non tolerare tuis ſatis eſt in commoda rebus
  Vulnus ab alterius ni patiáre bonis?
Infelix viues, ſi te felicior angat.
  Cunctos in cunctis vincere nemo poteſt.
Res tua vicini non creſcit rebus opimis
  Inuidiâ: verò creſcit amore magis.
Fœdere ſinceri ſocio ſis iunctus amoris;
  Sunt tua prædiues quidquid amicus habet.
III. Vult piger, & non vult, langueſcit inertia; lucris
  Non intenta ſuis, tempus inane trahit.
Cuncta putat grandi ſurgentes mole Gigantes,
  Territus inde, fugit quæ generoſa forent.
Inconſtans, varijs nunquam conatibus idem,
  Fit grauior reliquis ſarcina, fitque ſibi.
Perpetuo vitæ premitur languore tepentis,
  Incubat & pœnis triſtior ipſe ſuis.

Ceu rota, non aliter, toties agitata per orbem
Stat semper primo, quo ſtetit ante loco.
Sic generoſa pigrum mouerint phantaſmata ſæpe,
Quæ factis nunquam compleat ille tamen.
Quidquid agit veluti tepefactum flumen ab igne,
Terrigenis ſtomachum, cælicoliſque mouet.
Ergo tuam fruſtra ſperes quicunque ſalutem,
Ni languore animi deſpoliere tui.
Languida ni calidus ſubeat præcordia feruor,
Flammeus vnde tibi, ſurgat ad aſtra vigor.
Prima velut volucri cœlo data cura volatus:
Prima laborandi ſic homo munera habet.
Vtque labor ſuperûm deſit conceptus amore,
Pœnali mundus pondere quemque premit.
Oh quoties placido fruſtrantur lumina ſomno?
Ditior in noſtros vt fluat vnda ſinus.
Qualia ſollicitæ patitur tormenta medullæ,
Vt quis fortunâ ſplendidiore micet.
Crimina proh quantis impenſis fœda coluntur!
Pœnaque proh quanto venditur ære grauis!
Si bona mercaris ſudore fugacia tanto,
Cur non perpetuis par tibi cura bonis?
Ah faciem rubeo confuſus ſanguine pingat,
Tantis qui rebus ſegnis inerſque fuit!
Omnis cura poli breuibus finitur in annis
Succedit merces quæ ſine fine manet.
Mens hominis nutu cæli directa ſuperno
Nullum grande licet non ſuperabit opus.
Fortiter audendo rerum fera monſtra fugabis,
Obtinet omne animus quod iubet ipſe ſibi.
Quod potis eſt facies, nil non te poſſe videbis,
Conantem Omnipotens Numen ab axe iuuat.

CAPVT IX.

De Superbia. Ambitione & inani gloria. Icon superbi. Dignitatum vanitas, & pericula. Tumoris mala, & Alexi-pharmaca.

I. TVrgida postremo se mens pro fine locatam
Numine contempto Numinis instar habens,
Quos Superis cultus, hominique tenetur honores
Impia personæ dedicat ipsa suæ.
Crimine quantumuis reseretur ianua fastus
Recludet planas has sibi claue vias.
Fraude, dolo, gladio, certâ socijque ruinâ,
Prætensas veluti iure tenebit opes.
Hæc inuisa Dijs, homini minimèque ferenda,
Laudibus humanis cor animumque dicat.
Vltra quam potis est tractanda negotia sumit,
Cunctaque persuadet muneris esse sui.
Imprudens vanis volitat super æthera pennis,
Deprimit & reliquos grandis vt esse queat.
Callida vulpino prodit sub tegmine vilis,
Taliter ambitus effugitura notas.
Si fortasse gradu fuerat quem scandere iussa
Fortunæ facili mobilitate ruat;
Vocibus horrisonis orbem complebit vtrumque
Arma mouet, rixas, insidiasque parat.
Ponere subiectis pœnas, non parcere nouit,
Crudeli nimiùm quos premit illa manu.

Cur iustum tanto pretium non ponis honori?
Sidereas hæres quærere temnis opes?
Hic tibi sume animos grandes, extollere fastu
De tali soboles nobilitate Patris.
Ad genus ipse tuum mores componere disce,
Hac graditur certam gloria vera viam.
III. Quid sunt sceptra precor, fuluæ Regumque coronæ?
Aurea sunt laxi non nisi vincla pedis.
Quæ si mortales purgato lumine cernant,
Non tot pro solijs bella cruenta gerent.
Plurima Rex vnus numerabit sceptra, coronas,
Quas propensa dabit, non violenta manus.
Quisquis mendaci fortunæ pendet ab ore,
Crudeli dominæ subdita colla tenet.
Quos æquat cœlo vulgus, censetque beatos,
Non sic de propria prosperitate putant.
Suspirant grauium sub pondere sæpe laborum,
Subiectosque pari mole grauante grauant.
Otia tunc laudant, sacræ statumque quietis,
Iam quæ forte prius displicuêre, placent.
Fulgor, honor, gemmæ, mundi spectacula pompę,
Sollicitis veniunt nauseabunda viris.
Attoniti tandem, multoque pauore trementes,
Inter vana ferunt omne quod orbis habet.
Horrida formidant postremæ puncta diei,
Mortem, districtum iudicijque diem;
Cujus in aspectu, tanto quæsita labore
In nullo penitus sunt reputata loco.
Taliter ergo breuis dispenses tempora vitæ,
Tutus vt extremis exhibeare thronis.
Si postrema modo teneas subsellia terris,
Tandem supremis constituêre choris.

Deli-

Quidquid habes celſo fluxit tibi munus Olympo
    Nilque tuum præter crimen inane geris.
Quod ſi cuncta refers Superis accepta, quid ergo
    Debita ſubtrahitur, gloria honorque Deo?
Plurima diſce precor fragilis diſcrimina vitæ:
    Hæc tibi, queîs ceruix dura prematur, erunt.
Vaſta cui ſimilis punctis eſt machina mundi,
    Noli ſacratum ſpernere dogma Sophi.
Imperium puncto clauſum quid ſtulte requiris?
    In paruo nullus grandior eſſe poteſt.
Quæ modo terra gemit paſſu calcata ſuperbo,
    Pondere mox eadem te grauiore premet.
Nec niſi quanta ſat eſt gelidum concludere corpus,
    Hæc tibi cedet humus non ſpacioſa magis.
Criſtallo ſimilis ſplendeſcit gloria mundi,
    Fulget & in puncto rumpitur, atque perit.
Maior centenis ſuccreſcens quercus in annis,
    Horæ ſub media parte reciſa ruit.
Nec te vana ſuo titillet gloria flatu
    Priuatæ teneas tecta quieta domus.
Nemo parat lauros, grandes ſibi nemo triũphos,
    Appetit & socijs nemo placere ſuis.
Omnia miranti dantur ſpectacula turbæ,
    Biſſea, tolle oculos, quis tegumenta volet?
Solus frondoſæ reſidens ad bracchia quercus
    Quis referat pompam diuitiaſque ſuas?
Si mel fecit apis, fructum ſi protulit arbor,
    Hoc ſatis eſt, cupiunt prætereaque nihil.
Aſt homo factorum plauſus, digitoſque notantes
    Appetit & dici vir generoſus hic eſt.
Anne data melior fueris, vel laude negata
    Peior? res pretium quælibet ipſe ſibi eſt.

Deſit

Desit spectator tenebras sol forte subibit ?
Nec melli dulcor ni celebretur erit ?
Si nulla humanæ moueat te gloria laudis,
Sidereo lapsus nosceris esse polo.
Quisquis forte sua viuit contentus, abundè
Monstrat diuitias Numinis esse suas.
Ille etiam laudem, laudem fugitando tenebit;
Non est sectantis, sed fugientis honor.
Vas quid inane precor laudabile clauditur in te?
Incertæ vitam prosperitatis agis.
Omnia quantumuis cœli mandata iubentis,
Perficias, domini seruus inanis eris.
Sed rogo cuncta Deo dices qua fronte refusa
Debita ? ne desis laudibus ergo tuis.
Quæ prægnante sinu fudit tibi munera cœlum,
Redde Deo, mentem, viuere, & esse tuum:
Quid reliquum præter numerabis crimina vitæ,
Puluere terreno deteriora magis ?
Ergo nihil cum sis nihilum iactabis inane ?
Vt quidquam sis, te noueris esse nihil.

CAPVT X.

De totius corporis sensuumque exteriorum moderatione. Quantum corpori indulgendum. Castiganda oculorum licentia. Vestium luxus damnatur.

I. HAnc sanam vitæ formã seruare meměto,
Exhibeas carni quod satis esse solet.
Dure tractanda est animo ne fortè rebellet:
Corporis altor eris, seruus at esse fuge.

Fer-

Fercla famem, duramque sitim potatio sedet,
Frigus lana fuget, tecta det ipsa domus.
Sed labor adiecit vanus quæcunque decora
Hæc animo veluti perniciosa, time.
Cui caro chara nimis nihil is præstabit hone-
stum,
Pro qua ne lædat semper erit pauidus.
Non aliter putridum debes respicere corpus
Vincula quàm cordis perniciosa tui.
Vir probus, ac sapiens corpus sic curat, vt ille,
Hoc sine qui nequeat viuere curat homo.
Instrumenta animi corpus; quis negligit artem
Tempora curandis his pretiosa terens?
II. Mors quia per sensus patulas intrare fene-
stras
Assolet, hunc rectâ dirige ad astra viâ.
Ne se terreni demergat in æquora gustus
Attentus nimiùm tu caue, ne quid agat.
Sensibus imperitare nefas: videas vice versa
Ne dominus famulis seruiat ipse suis.
Sit tibi prima oculis cohibendi cura petulcos,
Qui vetito quouis sunt in amore duces.
Hi celeres visu multis phantasmata formis
Implent, & totas mentis ab inde domos.
Hinc grauium scelerum iaciũtur semina cordi,
Fructum seminibus progenitura parem.
Exterius lumen rectum, si lumen ab intro
Cordis, sectetur conditione pari:
Signa Dei rebus cunctis impressa tenebis,
Atque opere in proprio Numina sacra coles.
Ex quibus attollens animos ad sidera, disces.
Blandè eum Superis deliciando frui.
Fæmina compta aliud nihil; est luxuria prõpta,
Cernere quam fugies ni periisse velis.

Haud ludos, mollesque velis spectare choreas,
Mens collecta quibus disijcienda foret,
Quò minus excelsos cœli conscendat ad orbes.
Corporis errat vbi lumen, & errat amor.
III. Ostia sunt aures veri, sapientia per quas
Accola facta solet mentis adire lares.
Has ergò circum sepis munimina ducas,
Falsis ingressum stultitijsque neges.
Quisquis amat dictis alienam rodere famam,
Vicini nomen ferre, referre sui:
Huic aures veluti Sirenæ claude dolosæ,
Claude bene, & vanis non reserato sonis.
Otia narranti, nigræ vel somnia noctis,
Aut mage sunt animæ quæ nocitura tuæ.
Nam velut auditum resonat modulamen in aure,
Sic remanent verbi semina fixa mali.
Quæ redeunt quam vis nolis, depulsa recurrunt,
Conturbant animam, suntque molesta nimis.
Sæpius hoc Superûm carpes tibi verba loquentũ
Quò mage mortales rariùs audieris.
Est muliebre nimis pigmentis semper olere,
Nec benè semper olet, qui bene semper olet.
Confectos igitur contemnas semper odores
Moribus efficiens te redolere bonis.
Splendida non auido præponas fercla palato;
Et sana fauces sobrietate premas.
Stringantur setis tactus, ac verbera dura
Corpus, & asperior lectulus excipiant.
Est medios satius inter seruare dolores,
Quàm carnem ac animam perdere blanditijs.
IV. Corporis ex habitu cordis secreta patescunt;
Ergo animi praui sint procul indicia.
Illa grauis veterum sapientia quando vigebat,
Non licuit frustra velle mouere manum.

Hanc

Hanc tibi non ausim recti præscribere legem,
Dico Scurrarum ne sociare choro.
Bracchia ne iactes, hominem fugiasque solutum
Frænum præproperis gressibus adde pedum.
Quidquid id est oculos quod lædere possit, abesto,
Sordities chlamydis fronsq; inamena procul.
Non bene compositi motus, contemptus acerbus,
Omnia quæ stomachum nauseabunda monent.
Multa queunt fieri, ac etiam patrantur honestè,
Haud oculus simili quæ ratione videt.
V. Primus homo nudus rerum Factore creatus,
Nec tamen ignaro taliter esse pudet.
At vbi deliquit subitò mutatus ab illo,
Aeternæ vestis quâ tegeretur eget.
Sed quod erat tandem mulctæ pœnalis ad instar,
Hoc, modò præcipui cultus honoris habet.
Non qui nuda tegant carnis quæruntur amictus,
Ast ornent, vanis qui placeantque oculis.
Non satis e propria poteras quem noscere vita,
Quam gerit, asculta, veste loquente, scies.
Maior cura togæ, pexusque ad vitra capillus
Fæminei genij est, ingenijque paris.
Quid tegit exterior cultus pensare volenti
Tinget purpureus sanguinis ora color.
Quisquis ab intus habet cultum virtutis, ab extra
Haud veste aurata splendidus esse volet.
Virtus amat lumen renuit tamen illa colorem.
Adiunctis minor est amplior ipsa sibi.
Est hominum splendere togâ vanissimus error
Sorditiem quando mens vomit atra grauem.
Quidam gemmatis onerantur sponte catenis,
Et vinctis, vinctos taliter esse, placet.

Au-

Aurum non vincit quosdam, sed figit acerbè,
Vulnere dum læsa pendet ab aure graui:
Quæ suspensa gerit patrimonia tota frequenter,
Transit & in luxum pœna quod ante fuit.
Plus quosdam tangit pexendi cura capilli,
Quàm saluandæ animæ sollicitudo suæ.
Sic errasse hominis potuit mens praua superbi,
Vt putet ornatum, calce terenda suum!
Ergo tibi vestis non sit pomposa per artem,
Excedat sordes, fastibus inferior.
Auro te quamuis ornes, multoque pyropo
Ni decus addiderint Numina, turpis eris.
Perpetuos decor ille vigens durabit in annos.
Non est hic carnis vestis, at est animæ.

CAPVT XI.

De custodia linguæ. Quanti momenti sit, & quàm difficilis. Quid in sermone seruandum, quid vitandum. Qualiter toleranda vitiosa aliorum lingua.

I. Vita, & mors manibus linguæ commissa, requirit
Curam, quâ seruas lumen vtrumque parem.
Qui frænare nequit linguam similabitur vrbi,
Cunctis, murorum quæ sine sepe, patet.
Nec tamen hanc potuit quisquā cohibere ferocē
Cui non auxilium misit ab axe Deus.
Frænat homo taurum, sæuum frænatq; leonem,
Ast os, & linguam non domat ille suam.
Suxit

Suxit homo morem matris cum lacte loquendi,
Conceptum citius mentis, vt ore vomat:
Proxima tum lingua eſt cerebro, phantaſmaque labris,
Hoc facit, vt quidquid penſitat, ore fluat.
Quæ præſtanda tuis fuerit cuſtodia verbis,
Linguæ bina docent addita ſepta ſatis.
Qualiter vnguenti ſuaues perduntur odores
Dum reſerata ſinit pixidis ora puer:
Limina ſic oris pateant ſi forte loquacis,
Omnis ab hoc animi deperit ore vigor.
II. Qui non continuo linguā cuſtode gubernat,
Dicitur hic rebus non bene adeſſe ſuis.
Semper eris cautus quoties de more loquēdum,
Proteruè in medium nec tua ſenſa feres.
Tu caue ne fallax, verborum vtare colore,
Promas quod ſentis duplicitatis inops.
Eſt tibi per ſuperos fandi conceſſa facultas,
Vt res verè alijs participare queas.
Quando loqui debes, primùm te conſule, quænam
Mens tibi verborum format in ore ſonos.
Donec ſedetur feruor commotus ab intro,
Nulla dabis linguæ verba loquenda tuæ.
Hæc niſi cautus agas, effundes plurima, tandem
Quæ tibi venturi cauſa doloris erunt.
Si nullus ſtrepitat clamor ſub corde, ſilebis;
Sique quieta tuum pectus eremus habet.
Quæ facies animo fuerit, diuerſus ab illa
Haud hominis poterit labra ſubire color.
Ad numeros factæ iuſto moderamine mentes
Sobria de labris, ſiccaque verba dabunt.
Mens quibus à maculis, ſermo turpatur ijſdem:
Quos habeat mores quilibet, ore docet.

Fer-

Fercula vescenti, lectus sit sermo loquenti,
Haud vllus vanè missus in astra fluat.
Dente cibum minuis, cur non tua verba remordes?
Hæc animam, stomachum lædit at ille tuum.
Rarò cum reliquis, tecum versare frequenter,
Plurima præ reliquis ipse loquare tibi.
Poënituit doctos, persæpe fuisse locutos,
Sed credo nunquam conticuisse, viros.
Quo meliore vigent pecudes phantasmate, tanto
Noscuntur streperæ vocis habere minus.
Multa puer loquitur, mulierque per omnia garrit,
Qui plus fronte pili, quàm rationis habent.
Est virtutis inops, nimiùm vitioque propinquus,
Qui loquitur verbum præter inane nihil.
Quisquis amore Dei flagrat, propriæque salutis,
Huic Deus, & virtus colloquij scopus est.
Quæ mens clausa tenet, profundit lingua frequenter,
Nescit amor mendum, tegmen & omne fugit.
Non tibi verba placet rebus miscere supernis,
Immersum vitijs te quia mundus habet.
Pauca legis, minimùm meditaris verba salutis,
Inde loqui cupidum deficit ore sonus.
Lentior vt nunquam fons magnum flumen inundat,
Sic e profluuio pectoris os loquitur.
Et licet integris non desint verba diebus,
Sunt tamen hæc alijs perniciosa nimis.
Taxatur studium, mores, & vita propinqui,
Censores totidem sunt, quot in vrbe viri.
In proprijs cœci reliquos scrutamur acuti,
Vix oculos vllus quærit habere domi.

Inge-

Ingerimus plenis ori conuitia valuis,
Laudibus at iustis rima nec vlla patet.
Quò magis hæc homines pestis peruadit ad omnes,
Hoc magis, vt tu non inficiare, caue.
Seu tua, seu sint alterius secreta silebis
Munere quæ debes fortè tacere tuo.
Sæpius errantem vexat sententia mentem,
Prodidit arcanum garrula quando suum.
Pluribus, aut vni pateant secreta, perinde est;
Perfacile in cunctos sermo solutus abit.
Longiùs extensæ mira est dulcedo loquelæ,
Qua veluti vino mens tumulata iacet.
Propterea quamuis iuret, non abdita seruat
Verborum suauis quem tenet ebrietas.
Ille tibi, pariter fidei tu pignore sumpto
Illi secretum participare soles:
Tu premis arcanum, pandit sors omnibus alter,
Sic quasi nemo palam, clam sciet omnis homo.
Linguam, secretas credes volitare per aures
Dum super arcanum fama sonora fluat.
Quidquid damnorum toto reperitur in orbe
Promouet hoc totum lingua, vel ipsa parit.
Verbis ergo tuis pondus fac, frænaque labris,
Nec profer, melius quod tacuisse foret.
Dignior est laudis, verbi qui temperat vsum,
Quàm qui pendendo parcior ære fuit.
Non nocet ille alijs fuluum qui prodigit aurum,
Ast sibi, verborum prodigus, atque alijs.
Proximus accedit superis, qui plurima captat
Auribus, ore parum fertque refertque suo.
Princeps, quem violare calybs formidat, & arcus,
Carpentis linguæ tela cruenta feret.

Quam

Quam censura probam refugit cõtingere vitam,
Hanc os fatali vulnere conficiet.
Ipsamet excelsi proles sanctissima Patris
Dum fuit in terris vulnus ab ore tulit.
Huius ad exemplum mores componere disce,
Et placido vultu vulnera ab ore pati.
Te mala sublimes stimulat virtutis ab arces
Lingua, nec e recto tramite abire sinit.
Nullus, censurâ, vitio capitalior hostis:
Carpens, sunt homini quæ fugienda, docet.
Qui plus rectorum, quàm curat verba malorum,
Atque tacet, nullum vulnus habere potest.
Quid nocet, aut prodest, de te quid sentiat alter,
Quando animæ testis certior intus adest?
Turpius an quidquam, stultæ quàm plebis ab ore
Pendere, illius iudicioque regi?
Quæ cuicunque placent frænum permitte loquendi,
Non minus inde bonum te decet esse virum.
Haud aliter quàm si dicāt smaragdus, & aurum,
Quidquid amat, referat suspiciosus homo:
Quod fuimus semper stamus, smaragdus, & aurum;
Nec decet in varias nos abijsse genas.
An quia fors nitidi fontis maledixeris vndis
Propterea dulces fundere cessat aquas?
Sordibus iniectis vel si turbaris easdem,
Protinus has, partes non iacit in varias?
Sic minimè debes animi turbare quietem,
Quamuis contendant te lacerare mali.
Si quis rumores facilis mutatur ad omnes
Exiguo dignum semet honore facit.
Os Patris feriunt pueri, Matrisque capillos
Turbant, pectus edunt dilacerantque genas.

Sed

Sed quia qui faciunt nusquã contemnere norunt
Non hæc opprobrij sunt reputata loco.
Aduersus pueros quo Patres corde feruntur,
Hoc, male qui vellent, afficiâre, tibi.
Si moueâre semel verbo fortasse maligni,
Hic tibi præ reliquis mox venerandus erit:
Nam cuius iustè contemptus acerbius vrget,
Huius honor tantò gratior esse solet;
Hoc autem parui est animi vitiumque pauentis,
Qui nihil in vita prosperitatis habet.

CAPVT XII.

De sensibus internis. Vsus opinionum. Bonis cogitationibus mens imbuenda. De coercendo appetitu sensitiuo, eiusque prauis affectionibus. Variæ ad id præceptiones.

I. ES sapiens si nulla tuæ hæret opinio menti,
Quam natura horret, mens quoq; recta vetat.
Omnibus abiectis ergò phantasmata mentis,
Vt totidem laquei sunt fugienda tibi.
Sustulit e viuis charam mors inuida prolem
Non fuit hoc nostri posse, nec ergo malum.
Hunc Pater hæredem patrijs exclusit ab agris
Nec dedit ille ansam, non fuit ergo malum.
Attamen ille tulit firmis incommoda neruis
Hoc fuit arbitrij, proptereaque bonum.
Carceris obscuras perductus amicus in vmbras,
Quid tandem factum? ductus in arcta fuit.

Ex te dixisti, miserum fortuna fefellit:
Tolle tuum, fuerint cuncta quieta magis.
Mentem ne falso vexent phantasmata sensu
Ad furibundorum sunt religanda modum.
Quæ velut indomitæ pecudes per cuncta feruntur,
Garrula, læta nouis, nec moderanda satis,
Hæc vt contineas studio curaueris omni,
Non multis, vni fixa manere loco.
Ne decreta tui suspendat opinio cordis,
Quod foris est tecum nil habuisse puta.
II. Quæ natura rei, substantia, finis honestas,
An te concernat, subsit & illa tibi,
Limina dum pulsat, cordis, libramine verses:
Non aliter linquens cordis adire lares.
Vndique Numen adest arctos penetratque recessus,
Cuius ad aspectum cuncta reclusa patent,
Ergo vidente Deo caueas, ne mente reuoluas
Ante probum pudeat quæ retulisse virum.
Sint placidæ, rectæ, mentis puræque figuræ,
Quas alijs subitò participare queas.
Pessima vexabunt minimè phantasmata mẽtem,
Hanc meliora prius dum subijsse vident.
III. Nil animæ est adeo damnosũ, sensus vt ille
Inferior, similem quem gerit illa feris.
Hic est profluuium cunctorum iuge malorum;
Hostis, perpetuo quem vereâre metu.
Hunc impugnabis donec rationis ad vsum
Imperiumque, humilis subdita colla ferat.
Otia, nulla quiesque datur, sunt prælia semper;
Nam sine fine ferus bella inimicus agit.
Non procul hic à te est, tecto seruatur eodem,
Maior præ reliquis hostis es ipse tibi:

Non

Non acies, vt te, Xerxis vereare potentes,
Millenis, plus eſt te ſuperaſſe, viris.
Prorſus te prauos nolim conuellere motus,
Sed tibi rectoris munus adeſſe velim.
Scito te magni partes compleſſe Magiſtri,
Dum retinere vagos ad tua iuſſa potes.
Qui veluti prauos, motus proſcripſerit omnes,
Hic malè cenſuram peſſimus ipſe tulit.
De ſe naturæ non eſt damnoſa ſuppellex,
Quæ dare nil fruſtra, Numinis inſtar, habet.
Qui tulit affectus, virtutes ſuſtulit idem.
Abſque fero victor quis pugil hoſte fuit?
IV. Difficilis nimiùm lucta eſt, certamen & anceps
Prælia cognatus quando inimicus habet.
Affectu temere multos dominante per annos
Arbitrioque pari caſtra ſequente gradu;
Tandem ſubſequitur ratio, ſua iura reſumit,
Motus aduerſos ter generoſa premit.
Prima quidem praui faciunt certamina motus,
Viribus humanis haud ſuperanda tuis.
Aſt attende tibi primis iactatus ab vndis,
Mentis vt imperio te cohibere queas.
Surgentes facile eſt ſub fumo extinguere flammas,
At ſemel excuſſas quis reuocare poteſt?
Aduerſos rectè caſus prouiſus ad omnes,
Hoſtili nunquam concutière metu.
Poſtquam turmatim vonerunt damna, medelis
Serius eſt animum velle iuuare tuum.
Pauca loquaris, agaſque decora, ſuperflua tollas:
Hac animi turbas non patiere viâ,
Dicere rem minimam, nihilumq; referre cauebis,
Quæ fons virtutis principiumque fuit.

V. Proles infecto primi de semine Patris
Se, velut authumno pomifera arbor, habet.
In qua, vis proprij radicem fundat amoris,
Pronus agit truncum sensus ad omne malum.
Pro ramis turbæ subeunt, mentisque procellæ,
Pro totidem folijs mos vitiosus adest;
Sunt vice pomorum sermo, meditatio, & actus,
Quidquid & æterna Numina lege vetant.
Ne rami, folium, flores, fructusque redundent,
Vltima radicis percutienda fibra est.
Si tibi te tollens, proprios exscindis amores,
Hoc ictu penitus concidet omne malum.
Sed verò istud ages cum te de millibus vnum.
Nullius credes dotis, & ingenij:
Si non formidas sperni, Regumque fauores,
Vel venâre tuæ commoda nulla domus,
Qui bene se felix odit seruatur in æuum,
Qui male amat,nunquam non perit ille miser.

CAPVT XIII.

De Amore. Quæ sit eius natura, quæ causa, qui effectus. De eiusdem remedijs. Addita quædam de Odio.

I. EST amor illa boni primæua impressio, quali.
Mens cupida afficitur, dum bona nota placent.
Hoc veluti visco totus sibi adhæret în vnum.
Orbis, & e multis partibus vnus adest.

Quem

Quem caput affectûm cordis truncãdo, cateruam
Omnem quæ reliqua est in tua iura trahes.
Rectus amor repetit fontem, quo fluxit eundem,
Nescit amare malum cuius origo bonum.
Discute quæso tuos iusto discrimine mores
Obseruans illis quis dominatur amor.
Pectore propterea toto se Numen amandum.
Iussit, præter se ne quid amando colas.
II. Non tantùm proprios bonitas persuadet amores,
Sed paritas morum, congruitasque trahit.
De foris ac quidquid vultum conponit & artus,
Sollicitudo grauis, nobilitasque viri.
Præstans ingenium, multi doctrina laboris,
Aut decoris reliquum quidquid inesse potest.
Quisquis amatur amanti reddat oportet amorẽ,
Est siquidem magnes mutui amoris amor.
Quidam naturâ procliuis habetur amori,
Qui tenui, calido, sanguine, corde viget.
III. Cerne precor magnum, quo pollet, robur amoris,
In rem transformat quam quis amauit amor.
Exit amans de se varias peregrinus in oras,
Et viuit veluti mortuus ille foret.
Nil de se curat, rebus non prouidet vllis,
Nullibi consistit res nisi amata velit.
Heu nimis infelix mundano mixtus amori,
Quem tenet abiecto Numine inanis amor!
Terrea amans in res nunquam transibit amatas,
Quæ finita animas haud satiare queunt.
Quisquis Numen amat, non in se, viuit in illo
Orbis cui domino viuit vterque suo.
Est violentus amor mortalis, ineptus, acerbus,
At semper placidus Numinis esse solet.

Hunc zelus cruciat, non est sincerus & ille,
Cui clausum tutè cor reserare queas.
Solus & vnus amet cupit iste, sed alter vt omnes;
Huic foris, at illi complacet esse domi.
Temet amans igitur supremum Numen amato
Nam quod ames, illi non, tibi proficiet.
Mortales variant, horas pereuntque per omnes,
At, nisi qui voluit perdidit ille, Deum.
IV. Vt quem forsan amas vero secteris amore
Expers humanæ sit rationis amor.
Ingenio, genio minimè moueare iocoso,
Moribus at sanctis & pietate viri.
Pernities virtutis, amor Platonicus ille,
Qui de forma, oculos, mentis ad astra leuat.
Visa semel species tangendi pulsat amore,
Noxius & perdit fluxus ab inde virum.
Idcirco melius pedibus quàm lumine labi,
Namque pedum lapsu læderis, hocce peris.
Difficilis nimiùm res est dare pharmaca amori,
Nam castigatus deprimit ille magis.
Ac nisi principijs obstes, sic intrat, vt ante
Quàm decreta tibi mens sit amoris, ames.
Detineant etiam quæ dant fastidia mentem,
Dilectæ speciem disijciantque rei.
Præteritosque caue carnis reuocare fauores:
Deciduo citius surgit amore nihil.
Sæua peste pudor multos sanauit ab ista.
Dum fieri cunctis se doluêre iocos.
Profuit attentè reliquis disquirere damna,
Milleque prolapsus quos amor ipse parit.
Ad superos demum flexisse iuuabit amorem,
Lucraque virtutum quæ sine fine manent.

Hac

Hac ratione malum, rectus, dispellat amorem,
  Horreat & fœdis mens generosa capi.
Vt mala verba viri, praui sic pestis amoris
  Corrumpit mores commaculatque bonos.
Omnia nexu aliquo natura ligauit amoris,
  Cunctaque perpetuo fœdere iuncta tenet.
Nectit stellarum cœlo, volucrumque cateruas,
  Montibus innumeras agglomeratque feras.
Hos nisi sacratos, odium disrumpit amoris
  Nexus; namque odium diuidit, vnit amor.
Ista magis rabies victo dominabitur illi,
  Quem timor ignauus, suspicioque premit.
Est etiam quidam sic natus Matris ab aluo,
  Oderit vt cunctos, inuidiâque grauet.
Qui quasi nocturni dirissima temporis ales
  Vmbras horrescit corporis ipse sui.
Taliter affectus si forte occurrerit, illum
  Haud comitare odio, sed miseratus ama.
Qualiter in ludo placidus dimittis Achatem,
  Omnibus in vita sic placuisse stude.
Compesces odium mores conuersus ad illos,
  Quos bene compositos, despiciendus habet.
Simplex ille oculus rectus Rhadamanthus & index,
  Inuenit haud odio, plenus amore, locum.
Tandem si quod inest odium, sectare merentes;
  Peccata, æternos supplicijque focos.
Nam secus acturus te perdis: iustus amare
  Hostes, nullum non debet amare virum.
Exeat e mundo, superet Garamantas & Indos.
  Multa odio inueniet pessima digna suo.
Te solùm debes odisse ex omnibus vnum
  Qui tibi præ reliquis ipse nocere soles.

Haud externarum moueâre cupidine rerum,
Nam mundi citius præterit omne decus,
Atque tuo quamuis nil desit forte palato,
Omnia in extremis mors inimica rapit.
Cerne quod intus habes, cordis scrutare medullas,
Perpetui flumen prouenit inde boni.
II. Illa est antiquæ sapientia magna palestræ
Aequantis semet prosperitate Dijs:
Parua quod humanæ virtutis limina cernens,
Se putet affectus præter habere nihil.
Quos sic prudenti mentis moderatur habenâ,
Taliter imperio substituitque suo:
Vt iactare Midæ sceptrum, plenasque crumenas.
Ereptas ausit, cum ratione tamen.
Mundanas cupiens rerum contemnere pompas,
Tempore longæuo practicus illud aget.
Hanc qui doctrinam praxi didicêre Magistra
Haud, externa sibi non superesse, dolent.
Non secus ac dominus quod non Indosque Getasque
Dirigis Imperio, pœnituisse nequis.
Quæ sunt cunque foris comitantia corpus vt vmbra,
Illa puta tecum partis habere nihil.
III. Hoc nisi stricto animi frenâris vota capistro,
Non explebuntur, plus sine fine petent.
Ac licet innumero rerum ditâris aceruo
Plus irritatis surget ab inde sitis.
Cuius ab ardenti venter succenditur æstu
Non sitit, ægrotat, nec satiatur aquâ:
Taliter est illi qui non ratione retentat
Affectus, cuius limina certa manent;

Mors, labor exilium, despectus, morbus, egestus,
Quidquid & orbis habet quod tua sceptra fugit,
Haud mala sunt;celeri minimeq;cauenda volatu.
Rebus in extremis nec numeranda tuis.
Hæc igitur nunquam fugies, venientibus vltro
Occurres, placidis excipiesque genis.
Talia nam Socrates apto vocitare figuras
Nomine laruatas, pictaque monstra solet.
Nam veluti laruæ pueros formidine terrent,
Queîs præter speciem non timor vllus inest.
Accidit hoc rebus quas tu velamine tectas,
Et non sub vera conditione vides.
Pallida quid mors est? laruæ monstrosa figura:
Pluribus idcirco mellis ad instar erat.
Ergo quid est in morte pauendũ? mortis imago:
Non est mors, mortis sed timor horribilis.
Corripe fallentem iusto moderamine mentem,
Crimina vitabis, prætereaque nihil.

CAPVT XV.

De Gaudio, & tristitia. Qualiter vir bonus gaudere debeat. Non tristatur qui omnia præuidet. Varia doloris antidota.

I. Sic sua plaudentis dimittes gaudia cordis
Ne superent fines immoderata suos.
Sed laxata tuo liceat restringere voto
Læti fræna animi, mæstitiamque sequi.

Quamuis monſtra, bono, ſurgant millena malorum,
Accipit ille nihil victor ab inde mali;
Fert aduerſa velut normam virtutis amatæ,
Et quæ rectè animam ducit ad aſtra viam.
Oh fauſtum pietate virum! miſerandus haberi,
Monſtrarique poteſt; ſed miſer eſſe nequit.
III. Quæ fieri poſſunt, veluti iam facta teneto;
Sic præuiſa minus tela nocere ſolent.
Proſpera qui ſemper ſecuræ pacis amator
Exſpectat, venient huic grauiora mala;
Nam quæ mortales exſugunt damna medullas,
Haud exſpectantis neſcia corda premunt.
Aduerſans quid ſi rerum fortuna tuarum
Dimidium, quid ſi quidquid habes tulerit?
Quid ſi tecta ruant, ſegetes cinerentur ab igne,
Prorſus & à notis deſereâre tuis?
Quid ſi recta nigro maculetur fama colore,
Innocuuſque gradu deijciare tuo?
Flamma, catena, ruinæ, infamia, morbus, egeſtas,
Haud ſubitis veniunt caſibus iſta ſopho.
Ac veluti doctus ſurgentes Nauita ventos,
Sic ventura à longè proſpicit ille mala;
Quemque diu minuunt alij patiendo dolorem
Ille ſibi reddit præmeditando leuem.
Nam quæ fata ferunt vni, contingere cuiuis,
Secreto penitus nemine, damna queunt.
Quas precor auratas pactolus voluit arenas,
Cui non terga fames, pauperieſque premat?
Quem non abſurdæ ſordes comitantur honore?
Quod regnum impauidum non timet excidium?

An

Pluribus eueniunt nullo teleranda dolore.
  Eſt niſi mentis opus talibus ergo premi.
Quid tibi blandiris, vel quæ mendacia fingis?
  Qui vult omne ſibi temperat ille malum.
Diros impatiens noli cumulare dolores;
  Tam miſer eſt omnis, quàm volet eſſe miſer.
V. Omne genus morbi tandẽ decreſcit,& omnis,
  Sit licet immodicus, tempore mœror abit.
Expectare diem, lachrymæ qua currere ceſſent,
  Aut iuuat vndantes tergere ſponte genas?
Quod tandem longi factura eſt temporis ætas.
  Cur non conſilijs hoc facis ipſe tuis?
Quamuis mæſtitiam clauſo ſub pectore ſerues,
  Erumpit vigili progrediturue foras.
Omnibus in rebus citius nil tædia cordis,
  Quàm dolor immodicus triſtitiæque dabunt.
Tempore, quæ primo capient ſolamen amici,
  Poſtea deſpectus inueterata ferent.
Quod ſi damna dolor reparat ſurgentis Eoi
  Tempus & occidui tranſeat in lachrymis.
Quod ſi non remouent fletus aduerſa, leuantue,
  Diſce modum lachrymis ponere, diſce tibi.
Turpis Nauclerus clauum cui ſuſtulit vnda,
  Velaque qui ventis naufragabunda dedit.
Naufragus at medijs meritò laudabitur vndis,
  Quem mare luctantem fluctibus, hauſit aquis.

CA-

CAPVT. XVI.

De Spe, & Desperatione. Quomodo vtramque moderari oporteat.

I. SPes hominis vana est, fallax, phantasma diurnum,
Cui summus non est vltima meta Deus.
Anxius in multos cur sic extenderis annos,
Vt spe venturæ conficiare rei?
Terrea sperne, nihil cupies, lactabit inanis
Spesque nihil: nulli sponte reiecta placent:
Firma licet te spes nunquam fortasse fefellit,
Et sit perfacili conficienda modo:
Donec te quædam stimulat fiducia rerum,
Anceps semper eris sollicitusque tui,
Vt calcare fugis prærupta cacumina montis,
Sic sperare, tibi perniciosa caue.
Omnis ab inde miser, quod non sperata vidisset,
Finem pro votis obtinuisse suis.
Sæpè moneto tuam, quæcunque forinseca, mentē,
Non aliter videat, quàm peritura citò.
Cùr te seducis? vitales fusus in auras
Vt certò incertus, qua moriare die.
Nulla dies agitur promissis nixa supernis,
Hora nec vlla tibi non dubitata fluit.
Improba mors celeri sequitur calcanea passu,
Quotque facis vitæ, tot rapit illa gradus.
Quicquid habes mutuò cælis reddenda tulisti,
Vsum concessit, tempora Numen habet.
Cuius ad arbitrium referes concessa silenter
Debitor est, soluit qui querulando, malus.
Ergo

Ergo ſperandum nihil eſt ſub ſole, ſed illa
De ſummo vera eſt, ſpeſque tenenda bono.
Paruanimum, pigrum facile eſt diffidere inertem,
Et qui ſe paruis viribus eſſe putat.
Surgit ab exemplis animus generoſior illis,
Sæpius his paſſos qui grauiora vident.
Incipe magnanimus, lentum depelle teporem,
Conantes cæli Numen ab axe iuuat.
Falſior à rebus decedat opinio agendis
Ibunt in faciles ardua viſa modos.
Quod tibi cunque tulit fortuna aduerſa ſiniſtrũ,
Statutum æternis legibus illud erat.
Accidit idque tuis tolerandi viribus aptum,
Aut ſecus? vtriuis accomodare modo.
Nam ſi ferre potes, finem dabis ipſe dolori;
Si nequis, ille ſui finis eritque tui.
Quem ſufferre poteſt natura humana dolorem
Eſt leuis, atque breuis, quem tolerare nequit.
Sęua licet meminiſſe iuuat tormenta frequenter,
Reddere quod valeas ipſe ferenda tibi,
Congrua ſi penſes cælo ſubmiſſa probante:
Nam mala, virtutem, quæ nocuêre, docent.

CAPVT XVII.

De timore, quam vanus ſit. Et qua ratione vincatur. De vitanda audacia. Quædam iterum de ira.

I. MAxima pars hominum, nunquam ſors damna futura.
Formidat, fictis multiplicatque malis.

In-

Inuenit haud tantas pœnas mens sæua Tyranni,
Quot sibi venturi sollicitudo parit.
Hæc, bona sufferri vario præsentia casu,
Et mala ne veniant forte futura, timet.
Plurima damna grauãt hominẽ quę sępè deessent
Si formido parens gignere desineret.
Quid iuuat ante mali tempus, mœroribus angi,
Et miserum esse prius quam miser esse queas,
Non est prudentis qnamprimum credere dictis,
Atque vmbras, veluti monstra,pauere leues.
Sæpiùs ambiguum fallaci indagine verbum
In peiora miser significata trahis.
Principis offensam,maiorem mole Gigantis,
Qua vix formicæ corpus adæquet,habes.
Haudq; tenes animo mentem,sed posse potentis;
Cuius non iram, sed diadema paues.
Talia,sunt vani vanissima spectra timoris
Perturbant animam proptereaque magis.
Omne quod incertũ est pauidi iactatur ab vnda
Pectoris, at placido flumine vera fluunt.
Expectare, patiue aduersa periunde, dolori
Non nisi quodmodus est,sed timor absq;modo
Namque doles quantum nosti venisse malorum,
Sed casus omnes, cunctaque damna times.
Pellere vis omnem prorsus de corde pauorem?
II. Quæ ventura times iam tibi adesse puta.
Illaque pertractans tacito sub pectore tecum
Immodicum taxes, qui premit,inde metum.
Disces hinc certò, fieri phantasmate magnum
Haud ipsis rebus,quod fugis omne malum.
Durius anne tibi possit contingere damnum
Quam pulsum patrij linquere chara soli?
Amplius anne tuis quidquam vereare lacertis
Quam ne flamma vrat, dispereantque rogo?

Quæ-

Quælibet hæc, iusta mentis sartagine versa
Atque metus veri discute lance tuos.
Plures inuenias fidei quoque lumine cassos
Talia tranquillo corde tulisse viros.
In medio Stephanus lapidum torrente precatur,
Alter iucundo suscipit ore focos.
Proruit in flammas vltranea virgo uoraces
Cui proprium doctus nomen Apollo dedit
Quid metuis rapidos ignes? turbamq; frementem
Formidas Decij, carnificumque manus?
Mors his tecta latet pompis, quæ sæpè puellis,
Ac pueris læto lumine visa fuit.
Detrahe personam rebus, variumque tumultum;
Quas natura dedit cuilibet adde genas.
Inuenies præter vanos habuisse timores,
Quæ metuenda forent, vel fugienda, nihil.
Cum quibus assuetus tractat ludicra puellus,
Et tenero reliquis stringit amore magis:
Schemmate laruato vultus si cernat amicos,
Non secus ac Erebi monstra tremenda fugit.
Grandibus hocce solet pueris contingere nobis,
Quos vexat terror panicus, vmbra, nihil.
Adduc priuatis animum ad communia causis
III. Dic mortale tuum quod geris esse caput.
Pluribus & morbis, diræ, mortique propinquum,
Cui mala iam pridem mille venire scias.
Quid nunc ergo times? ægrũ mox lectus habebit?
Sternitur vnde caro, surgit ab inde anima.
Pauperiem passus duro subigère labori?
Hinc, tranquilla magis vita futura tibi est.
Auratas perdes pactoli diues arenas?
Multas tunc curas, damnaque mille simul.
Fama sinistra nigro maculabit puluere nomen?
Hinc detractori claudere labra scies.

Tur-

Turpem speratis rebus patiêre repulsam?
Nec Rex ipse quidem quod cupit omne tenet.
Dulci de patria Schyticas pelleris ad oras?
Sponte illud facies, & peregrinus eris.
Haud cernes Solis fulgorem lumine cæcus?
Claudes illecebris hac ratione viam.
Ast mala forte bonũ nomen tibi lingua leuabit?
Pro meritis faciet, quod solet illud aget.
Heu citius vitæ prescindent fila sorores?
Sumpsisti hac primam conditione diem.
Sed patrijs longe positus morieris ab oris?
Vrbs, cui nulla manens est patria omnis humus
Floridus in media fato rapiere iuuenta?
Ante diem solui carcere nemo dolet.
Mors, lachrymæ, exilium non sunt tormenta verenda;
Sed fragilis vitæ debita pensa neci,
Quæ vitare nequis, velis, remisque cauere
Defectus cerebri, stultitiæque nota est.
IV. Audaces animi motus perstringe ferocis,
Nilque tuis maius viribus aggredere.
Nemo rei citius succumbit pondere pressus,
Quàm qui præfidens omnia posse putat.
Cælitus auxilium si non tibi Numina mittant,
Posse tuum nihil est, velle nec inuenies.
Virtuti propriæ fidit temerarius omnis,
Spernit, & ingenio præcipitante alios.
Plus metuit prudens vires dimensus ad vrnam:
Tentat quid valeant, quid nequeantque pati.
Quàm prius, audaces passi grauiora deinceps,
Primo torpescunt deficiuntque gradu.
Tandem, sed serò quàm sit sententia noscunt
Deceptrix hominis, vanaque iudicia.

Ca-

Cafibus infauftis præludia certa miniftrat
  Securus nimium quifquis agenda facit.
Non tibi crudelis dominabitur ira, putatæ
  Si iacis offenfæ vulnera corde tuo.
Tu tibi flagitijs calcar, præbefque ducatum,
  Omnibus efque malis tu faber ipfe tuis.
Turbati caufas animi cur quæris ab extra,
  Omnis quando mali tu tibi caufa domi es?
Quo Nutrix pueri lachrymas deficcat ocellis,
  Si non ploraris quæ petis accipies:
Rectius ipfe tibi verbum cantaueris illud,
  Iratus rabiem dum vomis ore grauem.
Irafci, ftrepituque vrgere negotia noli,
  Ad votum melius perficienda fluent.
Sic certis iram ftatuas frænare diebus,
  Iratus placida ne ftatione cadas.
Tandem de paucis menfem compone diebus
  Traductum ftrepera quem fine bile velis.
Tempus erit rabidæ quo fic dominaberis iræ
  Vt toleres blandis quæque molefta genis.
Nulli adeo placidæ iucunda modeftia vitæ eft,
  Ingenio quam qui mitior ipfe fuit.
His tranquilla bonis hominum præcordia turgent
  Palmas illa legunt, feftaque femper agunt.



CA-

CAPVT XVIII.

De potentiis animæ rationalis, continendus intellectus à curiositate. Cui potissimum scientiæ incumbendum. Quam malum sit aliorum mores disquirere. Aliorum iudicia spernenda. De voluntatis abnegatione.

I. EST data noscendi Numen tibi plena facultas,
Vt notum affectu prosequerere pari:
Ast vno primi bis crimine læsa Parentis
Nescia cæcutit mille pericla subit.
Sæpius ignarum veri te notio fallit,
Quæ fugienda forent quæque sequenda tibi.
Qualiter ergo graui sæuæ concussa pauore
Pestis, & hostili mænia cincta manu:
Aduertunt vigiles ne quis non cognitus arte
Furtiua penetret, damnaque nota ferat.
Sic tu, quin vigilans curis maioribus esto,
Ne pateat rebus mens reserata malis.
Sensus enim rerum species obiectaque portat,
Hæc, mens admittit, iudicioque refert.
Istud ad extremum seruanti sceptra volendi
Insinuat, cuius cedit & imperio.
Sed sensus bona mixta malis obiecta reportat,
Mens sibi pro placitis ista vel illa legit.
II. Ante perire velut gustans aconita, saporem
Quam bene gustatum sentiat ille solet.
Sic prius intereunt, qui se maiora sequuntur,
Noscere quam possint quæ voluêre nimis.

Pro-

Proximat ignaris passim qui plurima nouit
Quæ non vtilitas non sequiturque decus.
Qui cupit esse probè sapiens haud ludicra discit
Sed quæ formandis moribus apta videt.
Stellarum varias gaudes cognoscere vires?
Quid iuuat ignarum quam miser esse soles?
Niteris ornatè promptas depromere voces?
Congruit,& prodest, nosse tacere magis.
Forte nouos orbis rumores scire peroptas?
Nil magis est temet quàm renouare, nouum.
Sæpe iuuat fratris leuiores plectere culpas?
Cur non prægnantes corripis ipse tuas?
Vt noscas mores, veterum monumenta reuoluis?
Sat bene; si qua tibi sunt facienda facis.
Delectat varias hominum componere lites?
Pectoris & cur non bella cruenta tui?
Quærere siste, tibi quæcunque superflua cernis,
Inuenies facilis quidquid habebis opus.
Hæc discenda venit præcunctis lectio rebus,
Exsuperare alios vt probitate queas.
Quid te quæsitis torques frangisq; frequenter,
III Contempsisse magis cum foret ista bonum.
Continuis vt quid studijs haurire laboras,
Quæ tibi si scires obliteranda forent?
Qualiter in multis vexat nos vana cupido,
Taliter in studijs non satianda fames.
Splendent innumeris instructa palatia libris,
Quos spectare magis, voluere quam valeas.
Quamuis Matusalem vitæ transegeris annos
Librorum titulos vix numerare potes.
In quibus inuenias multos qui ludicra tractant,
Lectorique nimis perniciosa suo.
Vana tenent alij, nec rectis moribus apta,
Quos vbi legisti plus, nihil inde scies.

Queis

Queis tibi præ foribus conceſſum ferre ſalutem.
Ne quod in his magnum delituiſſe putes.
Sed parcè inſiſtes, tantùm ſelectaque tanges;
Efficiet mentem littera pauca bonam.
IV. Oh vanas vani ſimiles borealibus auris
Expreſſas ſpecies mentis, & acta viri!
Inſudat libris, demens ſibi demit amicum
Nocturni ſomnum temporis, & requiem.
Sicque per innumeras doctrinæ excurritur artes,
Multa velut certum viuere ſæcla foret.
Aſt vitæ nunquam pereuntis, cura, tepeſcit:
Quam non ars, virtus comparat vna ſibi.
Quid veterum prodeſt inquirere facta virorum,
Et varias populi quas ſubiere vices?
An tua, quæ pateris, melius reſtringere non ſit,
Quàm mala vicini ſignificare tui?
Te Geometra docet fundos, turreſque præaltas
Metiri, oh doceat, quæ tibi ſufficiant!
Computat auratas pactoli ars altera arenas,
Et digitos turpi format auaritiæ.
Oh doceat potius læto contemnere vultu,
Quæ tanto ſtudio connumerare ſolet.
Qualiter inter ſe iungat concordia voces,
Vt rapiat dulces auris ab inde ſonos,
Muſica demonſtrat: melius factura cauendo,
Vt male non ſenſus cum ratione ſonet.
Illa etiam triſti pectus ſubſternere læſo.
Inſtruit, & lætis corda mouere tonis.
Oh ſi felici riſum moderetur ineptum
Tempore, & aduerſo, temperet à lachrymis.
Non eſt dictarum damnanda peritia rerum,
Sed ſatis hæc alias, vtiliterque ſcies;
Poſteaquam quis ſis temet cognoueris ipſum
Et quæ migrantem poſtera fata manent.

Prorſus

Prorſus nil noſti, quamuis tibi cuncta pateſcant,
Si fueris vitæ neſcius ipſe tuæ.
V. Eſt ſcelus infandum vicini inquirere mores,
Lumine, & attento facta notare viri.
Quidquid agit, loquitur, tetro ſignare lapillo,
Et temerè in ſenſus vertere cuncta ſuos.
Qualiter alterius pereat te iudice ſeruus?
Stat domino ſemper, vel cadit ille ſuo.
Qui ſibi iudicium ſeruauit iudicat omnes:
Audes diuinum ſors violare thronum?
Pectoris ipſe tui latebras indagine verſes,
Hinc bona abeſſe notes, hic mala adeſſe fleas.
Tanta ſeges de te ſurgit reſecanda malorum,
Cui tua tollendæ falx ſatis eſſe nequit.
Fit bene nil adeo, quod non calumnia vexet,
Carpitur ipſa etiam pagina ſacra malis.
Qualiter humoris vertunt ſibi mæſta maligni
In bilem atratam corpora quidquid edant:
Sic male diſpoſitum pectus, quæ cernit,& audit
Peſſimus interpres in mala mille trahit.
Quidquid agant homines intētio iudicat omnes,
Quæ, res ſæpe bonas reddit & illa malas.
Hanc niſi ſupremus celſi Moderator Olympi
Noſcit, cui ſoli pectoris ima patent.
Quod ſi nulla poteſt ratio defendere factum,
Quid precor hoc ad te? ſit tibi cura tui.
Non te fœda pudet denſis reuocare tenebris,
Omnibus, & clara publica ferre die?
Cur non eſt morum maior tibi cura tuorum,
Vita qui vincis deteriore malos?
Ipſe tibi maledic, de te ipſo detrahe tecum,
Accuſes vitam, diſcutiaſque tuam.
Nam facile igniuomas vitabis Numinis iras,
Durior ipſe tibi ſi Rhadamanthus eris.

VI. Vt sumus alterius signandis moribus acres,
Quærimus & magnum nomen ab inde Sophi;
Sic male de nobis alium sentire putamus,
A quo mens temni suspiciosa timet.
Quod scelus vt pellas, priuãda cupidine mens est,
Quâ nimis externis quisque placere cupit.
Tum caueas, ne te stimulet prurigo sciendi
Quis reliquis sensus iudiciumque tui:
Sæpe tui siquidem speciem nec mente reuoluit,
Spargere quem de te pessima verba putas.
Non sim Discipulus, dic Pauli verba secutus,
Christi, si mundo forte placere velim.
Dic, mihi pro minimo est hominum subijsse tribunal,
Iudiciumque viri sustinuisse graue.
Talis es omnino qualem te cernit Olympus,
Nec malus, è verbis, nec bonus efficeris.
Esse bonum melius, quam talem forte videri;
Sol idem, quamuis nube tegatur, erit.
VII. Si tua spreta tibi, fuerit commissa voluntas
Supremo sapiens qui regit omne Deo:
Nulla tuæ quatient mentis contraria pacem,
Omnia pro votis euenientque tuis.
Velle tuo viues doctus quid velle necessum est,
Velle tuo semper velle sequente Dei.
Huius hic est vitæ status felicior vnus,
Sic res velle, Deus qualiter ipse volet.
Quas æterna tibi monstrat sapientia rectas
Ducit ad has eadem suauis & aspra vias.
Impiger æternæ dictamina legis obaudi.
Sponteque sidereo subijce colla iugo.
Nam licet obsistat prauus, tamen illa sequeris.
Hunc ducunt, alium Numina sæpe trahunt.

CAPVT XIX.

De statu proficientium. Varia profectus adiumenta, temporis æstimatio, & vsus. Dei præsentia necessaria.

I. SI cupis esse bonus primùm te credito prauum.
Deposito nunquam proficies animo.
Qualiter infirmus sani delusus ab vmbra,
Quique manum medicam negligit, æger erit.
Sic sua cui placeat, non tendet ad ardua, virtus,
Nolens profectum deficietque magis.
Ergo bonis auibus ceptis conatibus insta,
Quoque potes celeri progrediâre pede,
Correctum citius possis vt pectus habere,
Delitijs animi compositique frui.

II. Est proba translati in melius, si crimina cernas
Posthac, ignarum quæ latuêre prius.
Si tibi displiceant mundi peritura dolosi,
Viuere si soli complaceasque tibi;
Si quid perfectum est cernens curaueris illud,
Si spernas sensus iudiciumque viri.
Insuper auxilium præbebit ad ardua, Christi
Passio condignis præmeditata modis.
Ipse liber vitæ est, solus quasi diuite penu
Omne saluciferum bibliotheca tenens;
Hic, licet intereant omnes Autorque, liberque
Inuenies quidquid dogma salutis habet.

Sed nec ſcire ſatis, nec mente reuoluere Chriſtũ,
Ni fueris vitæ pagina viua ſuæ.
Praua manent eadem, minimè variantq; figuram,
Si non menſuræ ſint ſociata ſuæ.
III. Dixit præclarè quicunque hoc dixerit, ille,
Planas virtuti compoſuitque vias.
Omnis profectum cupiens ſic viuat vt æger
Perpetuas curas adijciatque ſui.
Nam veniunt cunctis permulta notanda diebus,
Quæ virtuti obſtant, conciliantque moram.
Nimirùm mundi quando ſectaris amorem,
Non Numen, ſed te, quæque creauit amas;
Taliter & fluxis rebus propenſus inhæres,
Vt malè, ſublatas impatienſque feras,
Quæris & immodicis quando tua cõmoda curis,
Fercla, merum, varias corporis illecebras.
Cum caput, & totos mergis pereuntibus artus,
Velle tuum ſequeris, iudiciumque tenax:
Dum fugis internos cœlo dictante fauores,
Nec captare Dei verba loquentis amas.
Impedimenta tuis faciunt progreſſibus iſta,
Virtutis certam præpediuntque viam;
Hæc bene vt ammoueas oculo vigilabis vtroq;
Aggredière viri fortis & inſtar opus.
Quod facis, hoc animam ſumãt virtutis ab igne,
Perfectum finem quo referatur habens.
Sicque operi incumbas, vt ſit par notio mentis,
In nullo penitus, diſſimiliſque rei.
Nemo eſt perfectus factornm diues aceruo;
Si bene, ſanctus erit, quotidiana facit.
Non ſunt in noſtris laudum præconia factis,
Sed modus eſt laudi quo fuit acta, rei.
IV. Sol volat, & propero feſtinant tempora lapſu,
Præteritumque tibi reddere nemo poteſt.
Vi-

Viuus non viuis, vitam victurus anhelas,
Vitâ in cras semper respiciente tua.
Sic tibi vita fugit vitæ instrumenta paranti,
Quam rapit incerto mors inimica die.
Qualiter immixto socij sermone viator,
Absque quod aduertat quo properabat abit:
Taliter assiduum vitæ quod nocte dieque
Continuo peragis dissimilique gradu,
Dum vario insudas distractus in Orbe labori
Non prius, extremo fine, videbis iter.
Ergo, quid expectas, cessas, quid & otia quæris?
Aurea temporibus pondera pone tuis.
Vna dies, quin sit gemmis tibi charior hora,
Cuius iacturam reddere nemo potest.
Haud vlli pateris fieri tua prædia prædam,
Litem pro patrijs limitibusque moues;
Tempus & ætatem rapiat quicumque tacendo
Permittis, furem persequerisque nihil.
Fusus in hoc solo, cuius non damnat honesta,
Sed magis ad superos tollit auaritia.
Perge licet, vitæ menses numerando, vel annos,
Defectum numeri quem numeraris habent.
Quid non his rapuit somnus, comestio, lites,
Vani discursus, turbaque amica tibi?
Cum nihil,aut aliud faceres,quæ tempora lapsa?
Et sine quæ sensu præteriêre tuo?
Tunc tibi quàm fuerit noscres exile relictum
Dices te citius, tempus & ante mori.
De malè transactis persæpe querêre diebus
Deflens irriguis damna secuta genis.
Cur non conaris præsens expendere tempus,
Expendi vt melius vix potuisse putes?
Præsens vna dies multis distincta minutis
Vno stat semper, præcipitatque gradu.

Præteritum non eſt, quandoque futura nec illa,
Inſtans eſt præſens, prætereaque nihil.
Sic hominis vita inſtanti concluditur vno,
Quo magis inconſtans, quo breuiuſque nihil
Ergo tuum eſt hodie ſolùm: cur perdis ineptè?
Et cras, quod non eſt, quæris habere, tuum?
Obice ſæpe graui turbat dilatio vitam,
Cras ſerum fuerit viuere, viue hodie.
V. Semper mente Deum, verbis, & reſpice factis,
Omnibus excluſis finis hic eſto tuus.
Illius vna tibi ſolùm ſectanda voluntas,
Qui benè cuncta, nihil qui male velle poteſt.
Tramite de recto, non deuiat ille Viator,
Qui ſibi Ductorem Numen ab axe legit.
Sunt tua felici fluxura negotia curſu.
Omnia diuinum ſi regat acta decus:
Cunctaque ſic facias veluti ſi ſpectet ab alto
Ipſe Deus, tectum cui nihil eſſe poteſt.
Omnia ſuſtentat, cunctis hic prouidet vnus,
Cuius ab obtutu nullus abeſſe poteſt.
Ille etenim non verba modo, non facta notata,
Intima ſed verò cognita cordis habet.
Limina quando feras denſis obducta tenebris
Credens, te ſolum, falleris, eſſe domi.
Qui ſecreta tibi debet tua reddere ſancta
Tecum eſt, excludi nec valet ille loco.
Viuimus ipſius vitâ, motuque mouemur,
Ipſo, quodque ſumus, nos faciente, ſumus.
Hoc coram vadas, epulare, negotia tractes,
Cunctaque ad hunc vitæ tempora verte tuæ.
Fac meritò dulces in te defigat ocellos,
Inſuper vt tales permaneantque vide.
Iudicis ante oculos facias dum cuncta videntis
Eſt nimis, vt vitæ ſis probioris, opus.

Vi-

Viuere ſic cures veluti ſub climate cœli,
Tu niſi, & ipſe Deus, non foret alter homo.
Quidquid amat de te diſponat prouidus ille,
Suſcipias lætis proſpera, & aſprâ genis.
Quære Deum, quâcunque viâ venturus ad ipſum
Nil curans, certò dummodo peruenias.

CAPVT XX.

De bono ſolitudinis. Fugienda malorum ſocietas. Mundi vitia quot, & quæ ſint. Studium proficientis acquiſitio virtutum. Signa quædam obtentæ virtutis.

I. Compoſitæ mentis prauiſque affectibus orbæ,
Certior eſt ſecum ſiſtere poſſe, nota.
Nam Deus vt felix ſe ſolo viuit & vno,
Perpetuas in ſe continuatque moras:
Sic habitare ſciens tecum, ſemperque manere,
Diuinæ ſortem proſperitatis ages.
Quin tibi perpetuum placeat ſi fœdus habere
Cum Chriſto, nunquam ſolus & vnus eris.
Quod ſi pruritu grandi ſtimulêre loquendi,
Tecum, ſed caueas, forte loquâre, malo.
Si vis, quid tecum poſſis conferre loquendo
Noſcere? doctrinâ plurima diſce breui,
Id facias, alijs quod præſtas ipſe libenter
Dic tibi, dic de te quæ mala cunque potes;
Profer in examen mores, & plecte nefandos,
Condignum quidquid ſupplicioque putas:

Non dèrit cui danda malum curatio quoddam;
Deficit in tantis mens miseranda malis?
Otia te muros inter ſanctiſſima claudant,
Otia tu pariter conde, reconde tua.
Priuatâ ſi quis de vita capiat honores,
Hic bene de nihilo iactat inane decus.
Corpore dum ſolus vaſta quaſi viuis eremo
Fac animam teneat non minus illa tuam.
Vt iucunda polo, ſummo gratiſſima Regi,
Vtilis illa tibi, ſitque decora Deo.
Corporis, & vanos mentis diſpelle labores,
Rebus inutilibus, ſubtrahe teque viris.
Haud teneare vllis victus vinctuſque creatis,
Quorum ſigna tuo corde nec ipſa feras.
Proijce ſollicito perituras pectore curas,
Et ſpecies capitis, monſtra tremenda, tui:
Atque tuis ſolùm tacita ſub mentis eremo
Solers inuigila rebus, & æthereis.
Cor tacitum, & pauper, vanique obliuio mundi,
Sinceram requiem mentis habere ſolent
Huc fugias, huc attendas, hic teque recondas,
Omnia tunc, quando cuncta relinquis, habes.
II. Si vis eſſe bonus conſortia ſperne malorum.
Moribus innocuis nil mage plebe nocet.
Atque tibi quamuis leges, decretaque ponas,
Moribus haud ſaluis tecta relicta petes.
Debile cor, minimèque tenax virtutis amandæ,
Non ſatis eſt mundi conſiliando malis;
Quæ veniunt, grandi quatiunt molimine mentē,
Aſſultuque graui quâ data porta ruunt.
Inde fit vt nequeat tantis obſiſtere telis,
Deuictas vitijs attribuatque manus.
Mollior eneruat pectus conuictor amici,
Nummorumque ſitim prouocat vnda tagi.

Vnius

Vnius exemplo facile est perijsse scelesti,
Seu sit auaritiæ, luxuriæue datus.
Praua docent Patres, serui,laterumque sodales,
Cingunt humanum damnaque mille caput.
Vt primùm tenues luci prodimus in auras,
Est vita, est studijs mens quoque praua suis.
Qui non commendat, suadet, non allinit vlli
Crimina, vix aliquem latior orbis habet.
Suauiter vnde fori fugiens commercia, muros
Inter priuatæ contineare domus.
Illic cuncta serena tibi, tranquillaque cuncta,
Et placidi current, & sine nube dies.
Fortuitò veniens quidam te forte vocabit
Vt secum tectis eggrediare tuis.
Quem pede ductorem prono comitaris euntem,
Pluribus adiunctis fitque corona viris.
Turba deinde venit tantis excessibus errans,
Pessimus vt redeas, qui bonus exieras:
Quę tamẽ haud miseri cognoscis vulnera cordis
Sacra nisi dum te rursus eremus habet.
In te igitur quantum poteris secede, cauendo
Ne vastet mentem plebs vitiosa tuam.
Lætior est animus per pauca negotia tractus;
Pluribus oppressus multa molestus agit.
III. Tantisper celsi montis te vertice stantem
Crede, soli miseras hincque videre genas,
Fastidire solum disces doctissimus inde,
Abdere in abstrusæ te latebrisque domus.
Quomodo latro vias, cernes, concludit apertas,
Obsidet & pelagi Prædo scelestus aquas:
Arma cruenta fremũt, colliditur ensis ad ensem,
Sanguine ab humano picta madescit humus,
Abruptisque quibus vitium retinetur habenis
Vndique sceptra tenet prædominante manu;

Cypridis occultum ſubiens penetrale, videbis
 Hic fieri Authori non placitura ſuo.
Inuenies adeo non digna, minuſque decora,
 Stultitiæ vt nemo non putet eſſe notas,
Quos niſi ab inuerſo deffendit turba cerebro
 Dum nemo in paribus mentis habetur inops.
Legis in ipſius patratur viſcere crimen,
 Nec probitas tuta eſt ſede patrocinij.
Dant veniam coruis, vexat cenſura columbas,
 Et veniæ maius crimine crimen habent.
Audaces iterata facit tranſgreſſio legum,
 Quod redimique poteſt nemo patrare timet.
Lingua nimis veluti fel eſt carpentis amara,
 Laudantis verò ſubdola labra viri.
Officio mitem mendax hinc fallit amicum,
 Sæuit trux odijs hoſtis ab inde feris.
Pars madet à vinis, eneruant otia quoſdam,
 Hos auri retinet non ſatianda fames.
Illos conſumit ſperati ambitus honoris,
 Præcipites alios cyprius ardor agit.
Cerne forum variæ quod turget ab agmine
 Plebis,
 Quot numeras homines crimina tanta legis.
Qualiter in tantis tutò conſiſtere paſſu,
 paſcere te ſano conſilioque potes,
Quando hæc ſurgentis, cæloque attollere
 vultum
 Conantis reprimunt pondere ad ima graui.
Agmen vbi ſcelerum virtutis regna triumphant
 Sanctius vt viuat hoc opus, hic labor eſt.
Nam licet excelſi montis fundatus ad inſtar
 Mutari nequeas; impedirere tamen.
Vna eſt hæc placidæ felix malacia vitæ
 Securè tantis terga dediſſe malis,

At-

Atque tenere locum minimè turbandus eodem,
Vnde luem mundi cernere mundus habes.
Quod vicit mundum non est superabile pectus,
Seque, vacans sibimet, vendicat arte sua.
Huic velut est carcer tractus spatiosior orbis,
Amplior ast cæli cellula visa locus.
IV. Nil prodest homines arcto vitasse recessu,
Et muros inter se tumulasse domus:
Ni cogas animum magnis intendere curis,
Vt sibi virtutes comparet ille sacras.
Desint virtutes homini, bona nulla supersunt,
Nulla est prosperitas, pectore nulla quies.
Sunt tria quæ mutuis iungitur in orbe catenis,
Non tria sunt vnus quin Deus ista tria.
Lux, Deus, & virtus: lux, virtus intima cordis,
Progenies summi quâ sumus alma Patris.
Si cupis optatum virtutis scandere culmen
Lux hæc purgato corde petenda tibi est.
Nam virtus magna est rerum perfectio, vitam
Hæc reparat, plenam lætitiâque facit;
Defectus de se minimè cælestibus aptæ
Supplet naturæ, viribus ampla suis.
Reddit opus facile, & vitam dat viuere rectam,
Orbus ab hac clarum lumine lumen habet.
Vincimus infernū, meritis cumulamur Olympi,
Aeternæ vitæ participesque sumus.
Hoc primùm studio debes cognoscere, virtus
Cuius naturæ est, quoque tenenda modo.
Nam sibi si nullus non nota cupidine poscit;
Credo, minus, quod non nouerit, illud amat
Demum continuo quamuis occasio desit
Rem faciendi ipsam, militis instar ages,
Prælia qui fictis bellis ad vera paratur
Et spirat media pectore pace minas.

Grandia finge tibi scelerum te castra vidêre,
Verborum grauibus vulneribusque peti,
Perdere quidquid habes: patiens sic esse memento,
Quam tibi adumbrabas res quasi vera foret.
Nullum vera rei terret præsentis imago
Quem prius absentis falsa figura probat.
Miles magnanimus bellis accingitur ille
Sanguine sæpe suo qui madefecit humum.
V. Nam semel, ac iterum, est virtus facienda, frequenter,
Vt veniat facilis sponte vel illa tibi.
Subdita num verò quædam tua iussa sequatur,
Noscendi cupido paucula signa dabo.
Si cernas vitium virtuti colla dedisse.
Aut saltem vires imminuisse suas:
Si prauos animi motus rationis habena
Mentis ad imperium continuisse queas;
Si non difficili veniat, mæroreque presso,
Sed facili, virtus perficienda tibi.
Audacter spernas tepidorum dicta virorum,
Et facias genijs non placitura malis;
Peruersos ibas post quos pronissimus actus,
Lethiferis fugias si cane, & angue magis.
Si neque delectent res te per somnia turpes,
Et mala non vnquam nocte dieque probes.
Si quæ sunt imitanda sequi coneris anhelus,
Et fugias studio, quæ fugienda, pari,
Si minimum quamuis magno conamine vites,
Nec sit iudicio culpa minuta tuo.
Cernens æqualem Cræsos superare Mydasque,
Si turberis ob hoc, inuideasque nihil.
Si sine defectus, vllo fateare colore,
Pro quibus & pœnas promptior esto pati;
Si

Si benefacta tuo tacitus sub pectore serues,
Conscia mens recti sufficiatque tibi.
Rectè etenim nunquã quærit sua premia factum
Cui factum esse loco muneris esse solet.
Denique continuo caleas virtutis ab æstu,
Torpida quæ nunquam, feruida at esse cupit

CAPVT XXI.

De virtutibus Theologicis. Fides operibus comprobanda. In solo Deo ponenda fiducia. Motiua amoris erga Deum. Amor proximi beneficijs ostenditur. Hortatio ad eleemosynam.

I. ESt subiecta alijs basis virtutibus, vna
Dat vitæ fulcrum Christiadumq; fides:
Hac sine nemo placere Deo, licet optimus esset,
Aut rectâ poterit tendere ad astra viâ.
Ista est crudelem vincens sapientia mundum,
Hac, quasi veraci firmus adhære Deo.
Quandoquidẽ non viua fides moueatur ab actu
Crede, nec inuanum, fac operare bene.
Dum tua verba, fidem, & iactat professio, mores
Ne contradicant, vitaque, cerne, tua.
Credis Euangelio, veneraris Biblia sacra
Cur rogo non etiam promptus obedis eis?
Aeternam credis vitam; breue tempus at illi
Præfers, perpetui tam leue pondus habes!
Quid te vera iuuat, vel quid bona credere prodest;
Si fueris mendax continuumque scelus?

Per-

Peruersus, fidei rectæ vix credo quod esset,
Namque fidelis agit quæ probat acta fides.
II. Quandoquidem celsus vastum Moderator Olympi
Disponit mundum, cunctaque solus agit:
Vt volucris cælo, foliumque ex arbore nullum
Decidit in terras, absque quod ille velit.
Hunc te magnanimus totum concede regendum,
Tanto, nil dubitans teque remitte Duci.
Ipse oportunum tibi res præstabit ad omnes
Succursum, præsens auxiliumque feret.
Pleniùs vtque Deo tradare ac sponte, dolosus
Hoc mundus verum det tibi consilium.
Si res eueniant casu tibi forte sinistro,
Labi consilijs quo videare tuis:
Morbi crudeles vexent, obiectaque falsè
Crimina, & his si quæ sunt grauiora premant;
Tu ne cede malis, sed spe munitus Olympi
Ductori in cunctis subijciare Deo.
Casibus his tanges, perque hæc discrimina finem,
Numen ab æterno quem tibi constituit.
Haud mala peruersi sentit præsentia mundi,
Qui ventura sibi sperat ab axe bona.
Tantum posse tuum, rerumque est copia tanta,
Quanta sedet gremio spesque, fidesque tuo.
III. Omnis virtutis, dilectio, forma, decusque,
Respicit vna hominem respicit vna Deum.
Atque quidem toto supremùm pectore Numen,
Viribus & totis semper amare decet:
Quin super id totū toto quod amabile mūdo est,
Purè propter se, quod sine fine bonum est.
Quidquid es, & viuis, motu sensuq; quod exstas,
Est fauor ætherеus, quod rationis habes.

Te

Te Deus eripuit cœco de carcere ditis,
Sulphurea mersum de phlegetontis aqua.
Mille tuum donis ditauit pectus egenum,
Abiectumque alias nobile fecit opus:
Ac sine promeritis cæli tibi regna parauit,
Expansa gratis constituitque manu.
Pontus, aër, tellus, cælum, totumque quod ipsis
Clauditur, hunc vnum vociferantur, ames.
Cur animæ lucrum quærens per multa vagaris?
Quod Deus est vnum dilige & omne bonum.
Solo, quantumuis non æquè iustus amanti
Factori quasdam reddis amore vices.
Otia vitat amor, minimè sua commoda quærit,
Et siquidem fuerit grandia quæque facit.
Nil graue contingit, nil non penetratur amori,
Emoritur verus, non superatur amans.
IV. Naturâ alternum nobis donante fauorem
Vna facit plures tecta habitare domus.
Nam sumus vnius magni nos corporis artus,
Gloria quos pariter, nectit & vna fides.
Non amat ille Deum, vidit quē nemo superstes.
Qui fratres odio, quos bene cernit, habet.
Sed verò tandem vero sectatur amore
Aggerit his, pleno cum benefacta sinu.
Præuenit obsequijs, prompto famulatur amore,
Lætus & hæc illis præstat, & absque mora.
Vt miserum releues nouisse satis sit egenum,
Grandi rem pretio, qui, rogo, dicit, emit.
Munere si fortasse preces præuertis amici,
Multiplicas nullo dona labore tua.
Præuenisse nequisti? intercipe verba rogantis,
Expectasse viri ne videare preces.
Sed festinus agas illud te sponte daturum
Quod rogitans precibus vellet habere suis.

Tum bona verba bonis rebus coniunge petenti,
Nullaque muneribus tristia misce tuis.
Mæstitiam frontis, molimina tardaque vites;
Non te collaudes, improperesue datum.
Res prodet tacitum magno clamore datorem,
Reddet & occultum, qui videt, omne, tibi.
V. Omnibus in donis quæ virtus spargit abundè,
Succursus miseri, regia sceptra tenet.
Lidius hic fidei lapis, atque redemptio culpæ,
Estque acquirendis iusta moneta polis.
Ergo cauebis eum miserum contemnere, qui te
Hæredem cæli reddere egenus habet.
Venditus es vitijs, auro redimare; iuuamen,
Fac sit auaritiæ materies, miseris.
Histrio ridiculis plenus dimittitur à te,
Qui cœlos offert Christus, inanis eat?
Spontè vel inuitus debes persoluere censum
Regibus, ex agris nil licet accipias:
Cœlorum Regi, plus iusto forte redundans,
Non dabis exiguum qui manet orbe cibum?
Tu parcendo caue, ne, quas tagus vndat, arenis,
Fraterni incipias sanguinis esse reus.
Quem si nō pascis iuxta quod mandat Olympus
Occidis miserum, non miserando, fame.
Quàm benè post te habeant proles hoc mente, reuoluis,
Nil penitus recolens quàm moriare malè.
Est satius natis aliquid non esse bonorum,
Quàm tibi vita animæ, deficiatque salus.
Inspice, connumera quid te concernit vtrinque,
Quid vitâ æternâ, possideasque solo?
Hoc tibi de cunctis superest in funere tantùm,
Quod miseri acceptum deposuêre manus.

Carpat quisq;fidem paruam quam pectore gestat
Fur penetrare potest tecta;sed astra nequit .

CAPVT XXII.

De prudentia,eius necessitas, & difficultas . Officium viri prudentis.

I. NOn secus ac veluti meditanti tecta Magistro,
Linea si desit non bene pergit opus .
Sic tibi virtutum si non (prudentia) præsit
Dux,modus,ars vitæ, claraque lux animæ.
Nil bene succedit cunctis mœrore repletis
Hac sine vita hominis lætior esse nequit .
Attamen interea grandis labor instat habendi,
Nam latet, obscuris contegiturque locis.
Illa etenim totum rimando permeat orbem,
Et genus,& species, tractat esse rei.
Certaque mundani cum non sit regula status,
Sed varias subeat, fortuitasque vices :
Talibus in rebus certam componere normam
Communis non est, ingeniique leuis.
Quæque repugnarent, firmo coniungere nexu,
Res grauis est,iustam temperiemque dare;
Cymmerias verò solita est affundere noctes
Quâ fieri debet nubila causa rei ,
Atque licet possit causæ quandoque videri
Vertex , intereà sæpe medulla latet.
Mens etiam rebus celatur diua futuris ;
Paucis hæc virtus propterea datur.
Quę magis expediant,vel quo facienda recurrant
Tempore,pars hominum pauca videre potest.
Pru-

Prudentem faciunt vſus, memorique repoſta
Mente: etenim notæ, quas regit illa,homini
Res veniunt vſu, & rebus perſæpe probatis.
Experimenta ſequens tu tua, tutus eris.
Exilis non te rebus committe ſupremis
Vnde timere habeas, forte vel vnde cadas.
Inſpice te primùm, vt cunctos videare labores
Prudenter voto diſpoſuiſſe tuo.
Tum rem quam facies, ipſoſque negotia quorum
Tractas, cumque quibus ſunt facienda,vide.
Pondere te demum iuſto librare memento,
Ne quàm poſſe potes plus videare tibi.
Quidam confiſus verbis,prolabitur ore,
Alter plus burſæ quàm ferat illa iubet.
Tertius infirmum multo conamine corpus
Officijque graui pondere ad ima iacit.
Tum bene res penſa vireſque his confer agendis
Pondus,membra premit,grande ferente magis
His quoq;trade manus,quorum tu ponere finem,
Aut ſperare queas, viribus ipſe tuis.
Sclige deinde homines magno diſcrimine dignos
Queis vitæ impendas tempora cara tuæ;
Hos luſtra,hos rigido tentes examine,quærens
Ne prodeſſe alijs ipſe tibi noceas.
Denique naturæ motus ſectabere honeſtos,
Ingeniumque feres quò regit illa tuum.
Dum natura hominis trahit in contraria mentē,
Irritus eſt omnis quem facit ille labor.
III, Donec non abeunt turbatæ nubila mentis,
Prudens nil rerum principiarê volet.
Mens etenim concuſſa, bonum, deluſaque prauis
Præſtigijs animi, noſcere honeſta nequit.
Haud ſua præcipitat vir cepta negotia prudens
Nil ſine vicini conſilioque facit.

Sunt

Sunt timidæ mentes hominum, ſapientia fallax,
    Sunt dnbij fines, decipiuntque probæ.
Vnde iubet multum multam ſperare ſalutem
    Conſilium, conſtat quo ſine nulla ſalus.
Eſt quoque vir prudens, rerum qui vela reiectat,
    Et nudas, vt ſunt, abſque colore videt·
Nomen honorificum, grandes ſepone crumenas,
    Rem ſcrutare ipſam, viſcera & ipſa pete.
Quære quid intus habent, non quære vocabula rernm,
    Falli vmbris turpe eſt, ac ſimulacra ſequi.
Tum debes veluti quadam de turre videre,
    Quæ cauſare tibi ſors inimica queat.
Dicere ne ſtultum illud, ſit quandoque neceſſe
    Hæc ego neſciui quod mihi fata ferent.
Cano iudicio. ſubtiles diſcute ad vrnas,
    Longe conſulta, ſæpe, diuque vide,
Ne quædam vitiet mala circumſtantia factum,
    Ne ſapias prudens degeuerando, dolum.
Neue ſub ambiguis, falſi, verique bnnorum,
    Pro virtute ſcelus ſponte ſequâre, genis.
Facto conſenſu, nexus præcide morarum,
    Effectum citius fac habeatque ſuum.
Quod, niſi facta vêhunt celebri ſuper ęthera laude
    Conſilium, tardas neſcit habere moras.



CA-

CAPVT XXIII.

De Iustitia, & Religione. Actus vtriusque. Quid sit pœnitentia, & in quo consistat.

I. QVæ dat cuique suum virtutum maxima virtus
Non sibi nata,alijs quidquid habet tribuit.
Nil sibi, nilque petit pro se,sed postulat vsum.
Ipsa sui,hoc reputans muneris ipse loco.
Ista cauet diris proscindi cædibus orbem,
Donaque tranquillæ munera pacis alit.
Quædam naturæ tacita est conuentio qualis
Humanum blando iungit amore genus.
Non res vllius lædit,non iustus honorem:
De cunctis loquitur, sentit & ille bene:
Dat sua cuique, bonum proprium non impedit vlli,
Proficuus Codro,proficuusque midæ
Mandat prælatus rectum,patet omnibus vnus,
Nulli conspectum non dat adire suum.
Præfert & proprijs aliorum commoda rebus,
Castigat vitium præmiat ille bonum.
Continet hac ratione suis in partibus omnes,
Officij immemores nec sinit esse sui.
Ipseque si subsistit, pacem sectatur amicam,
Legi,Prælatis obsequiturque suis.
Sorte sua plene contentus viuit, honores
Non petit, aut vani nomina magna soli.
Haud importunus tractanda negotia sumit
Ad se, quæ nunquam pertinuisse putat;

Nul-

Nullaque enim præter iuſtum, ſint præmia iuſto,
Gratis propterea iuſtitiam ſequitur.
II. Non eſt morales virtus præſtantior inter,
Quàm quæ vicino ſeruit honore Deo.
Credere diuinum,nec non cognoſcere Numen,
Eſt primùm ſacræ Relligionis opus.
Deinde boni colitur venerandaq; dextra potētis,
Illa iuuat miſeros, ſternit at iſta Duces.
Noſſe Deum nihil eſt,hoc dirus præſtat auernus,
Qui tremit,& credit, credit & odit atrox.
Inſuper exigitur cultus permixtus amori,
Quæ fiant vtinam quàm bene nota, bene.
Nonne Deus toto noſti quod præſidet orbi,
Et generis curam quod gerit ille tui?
Quod mare,quod terras,aërē moderatur & aſtra,
Et nihil hoc fieri non faciente poteſt?
Hic tibi cunctipotens, ſapiens,altiſſimus vnus,
Et vitæ æternæ creditur eſſe dator.
Cur igitur ſummo non hunc veneraris honore
Condigna quare non pietate colis?
Vilia cur illi præponis fruſtula terræ?
Eſt tua vana fides hanc niſi facta probent.
Greſſibus ante Deum vadas, perfectus & eſto,
Tunc bene tuncque ſatis Relligioſus eris.
Vera Deum pietate ligas, vinciris eidem,
Et ſat pro meritis, hunc imitando colis:
Pigritia intactam, ſerueſque erroribus illam,
Audeat hanc nullum contaminare nefas.
Maxima ſtultitia eſt,ſi quem ſua lingua fidelem
Iactat,Sauromatam vita, Getamque ſonet.
Hunc veteres inter quidam celeberrimus olim
Irriſit dicto ter ſepiente ſophus:
Grandia Chriſtiadas generoſo gutture verba
Spargit, & in factis nil miſerandus habet.

III.

III. Læſa Dei reparant lachrymoſi iura dolores
Damnandis faciunt pronaque corda malis;
Reddat vt offenſum peccans ſibi Numen amicum
Reſtituatque Deo quod tulit ante decus.
Qui ſcelus antiquum vitat cane peius & angue,
Pro facit elapſis criminibuſque ſatis,
Abnuit, & vitijs penitus diſſentit amaris,
Pectoris hic verè ſigna dolentis habet.
Quod delectat abit, fugit imò citatior vmbra,
Quod premit æternum, quod cruciatq;manet.
Quid rogo fœda iuuat commiſſa recondere cordis?
Nemo nocens ſemet iudice liber abit.
Ipſa ſibi natura humana in mente tribunal
Conſtituit,rigidi iudicijque thronum.
Hoc eſt quiſque throno delator, & horridus idẽ
Iudex,ac teſtis criminis ipſe ſui.
Coge animum, ſtimula ſenſus hic ſemper adeſſe,
Reddenda promptos de ratione tuos.
Dic veluti quodam coram te Iudice cauſam,
Pro vitijs grauiter corripe teque tuis.
Ipſe dies totos ſcrutare, & tempora tecum,
Quælibet ac horæ punctula parua tuæ.
Omne quod os loquitur, totum quod dextera tractat.
Mens quoque quas ſpecies irrequieta rotat.
Nil tibi non pandas,intactum nilue relinquas;
Parcit noſcenti crimina ſæpe Deus.
Si fateare ſcelus,ſanas,quid ſcire iuuabit
Nullos,quando nefas noueris ipſe tuum?
Anne putas melius damnatum forte latere,
Quàm ſolui næuis ſole vidente tuis?
Sis vbicunque velis lateaſque. ſcientia tecum eſt,
Quam vitare nequis,pectoris ampla tui.

Hanc

Hanc si contemnas, homines miserabilis inter
Viues, si viuas hac ratione tamen.
Sunt tria, quæ totam mortalem tempora vitam
IV. Præsens, venturum, præteritumq; regunt.
Præsens est punctum, ante fugit quàm cæperit
esse,
Venturi non sunt, præteritique dies.
Præteriti venient omnes cum iusseris, ac se
Subijcient oculis arbitrioque tuo.
Ne timeas memor esse tui, lapsosque referre
Non pudeat menses, corripiendo malos.
Sæpius id faciens, citius te corrigis ipsum,
Vindex peccati si fuerisque tui.
Quæ fecisse doles, iterum committere noli,
Sit satis elapsis indoluisse malis.
Qui liber medijs euasit naufragus vndis
Difficilem fragili se dabit ille rati.
Sed memor accepti Superum de sydere doni
Munifico grates, liba feretque Deo.
Hanc tibi inesse velim puro de pectore curam,
Ne semel aduersas aggrediare vices:
Grandia vitasti cælo ductore pericla,
Hæc eadem rursus sponte subire fuge.
Peccanti toties semper placatur Olympus:
Esse caue peior quod bonus ille tibi est.
Quæ facienda forent giras in mente frequenter,
Cur potius, non, quæ feceris, illa vides?
Nam bona de lapsis veniunt decreta futuri,
Præteritique memor damna futura caues.
Mille Sophi fierent, si se non esse putarent.
Peior eris semper tu nisi proficias.



CAPVT XXIV.

De pietate, & obseruantia. Obedientia commendatur, itemque gratitudo. Quomodo accipiendum, & reddendum sit beneficium.

I. DIcere nemo ſatis quàm ſit laudabile poſſit,
Subiuga mandanti colla dediſſe Patri.
Atque bonum patriæ Ciuem monſtraſſe cadenti,
Et fratres nunquam non cumulaſſe bonis.
Vincere muneribus cunctos voluiſſe patronos,
Nulli ſe largâ poſthabuiſſe manu.
Scilicet hoc ſacræ munus pietatis habetur,
Quo patriæ cultum, conferimuſque patri.
Sed quod agit Patris pietas, qui ſunt vice Patrum
Illud Maiorum præſtat idem pietas.
Nam quos officium, virtus, ſapientia & ætas
Præpoſitos nobis relligioque dedit;
Surgimus his coram, capitis velumque mouemus,
Cedimus occurſu proruimuſque genu.
Figimus ora togæ, dextris, & cætera honoris
Conſueto patriæ ſtigmata more damus.
Omnia quæ retuli facilis præſtabis eorum,
Quàm ſint ſublimes dum memor eſſe velis.
Hinc etenim diſcet concuſſa timore voluntas
Non illis comitem ſe, ſociamque dare.
Quorum te grauitas, & magnum nomen honoris
Exiguæ memorem conditionis aget.

Quæ-

Quælibet à summo cœlo est submissa potestas,
Datque sibi nemo quod gerit officium.
Prelatis igitur dederis quodcunque decorum,
Numinis intuitu vile recense datum.
II. Qualiter illa Patris primæua rebellio nostri,
Quod miseri patimur contulit omne malum.
Sic soboles æterna, Patri dum mitis obaudit,
Amissa rursus prosperitate beat.
Dum nobis monstrata sequi exempla velimus,
Totaque mandatis subdere corda Dei.
Cunctarum virtus perfectio prona parendi
Est quoque principij firma catena sui.
Omnia namque Deo giris accepta stupendis
Donorum vt fini, principioque refert.
Christus præ reliquis effert virtutibus, & ne
Perderet hanc, vitam perdidit ille suam.
Dicitur hæc melior quàm sint libamina centum,
Taurus in his, illa, sacrificatur homo.
Suscipies autem prælati dicta iubentis,
De cœlo veluti pagina missa foret.
Causam præcepti minimè motiuaque quærens,
Pronus maioris iussa capesse tui.
Prælatus moneat, leges, decretaque dicant
Facto quid sit opus, quæ vel agenda velint,
Non ego discutio, excuso, non disputo quidquam,
Sed celer ac simplex iussa iubentis ago;
Seu leue, seu fuerit graue promptus ad omnia pergo,
Lætitia mentis, conficioque pari.
Vna in re tantum tutus me præsto rebellem,
Mandatum cogar si violare Dei,
Totum quod reliquum est faciam sine murmure magno
Constantique animo, quidquid id esse queat.

Quando munificis dantur tibi munera dextris
III. Patrono remanes debitor ipſe tuo :
Pro quibus vt quidquam referas memorabere doni,
Dantis ab effectu pondus habendo tui .
Non niſi qui meminit, iuſtas pro munere grates
Ferre poteſt; dignas iam memor ipſe tulit,
Omnibus hoc facile eſt præſtare volentibus, iſtud
Nam nec opes, operam, diuitiaſque petit.
Vt deſint vires, poterit non deêſſe voluntas,
Excelſis faciet Regibus illa ſatis.
Dum tibi donatur, vultu cape dona ſereno,
Lætitiam cordis teſtificando tui.
Quam cernens largus ſumat Patronus ab inde
Abſque mora fructum muneris ipſe ſui.
Iuſtum eſt lætari, lætum dum cernis amicum;
Iuſtius ac multo lætificaſſe tamen .
Munéra qui gratè accepit mitiſque, libenſque,
Donanti ſoluit munera prima ſuo .
Eſſe volet nunquam gratus, qui ſeruat amici
Longiùs aſpectu munera ab acta ſuo :
Sed verò celebri qui fert ad ſidera voce ,
Quique negat grates poſſe referre, refert.
Qui piger accepit nimium vel fortè grauatè ,
Exigui, donum quod tulit, ille facit.
Qui ſenſiſſe parum monſtrat, vix labraque ſoluit,
Dicitur ingratus nil referente magis.
Vir bonus vt primùm munus ſuſcepit amici
Reſtituat grates qua ratione, videt.
Moribus haud quidquam ſic aduerſatur honeſtis,
Quàm quod ſumpſiſti non retuliſſe datum.
Nec ſunt dona penù ſimili reddenda Patrono,
Sed multò acceptis vberiore manu .

Pin-

Pinguis terra velut concredita ſemina campis.
  Maiori cumulo reſtituiſſe ſolet.
Sed caue ne nimium feſtines reddere grates,
  Et ſubitò expungas munere dona tuo.
Munera vix quidam ſumit, mox dona remittit,
  Hac debere fatens ſe ratione nihil.

CAPVT XXV.

De veritate, eiuſque vſu. Simplicitas laudatur. Actus fidelitatis.

I. SErmo, manus, geſtus, veri diffundat odorẽ
  Turpe eſt Chriſtiadem verba doloſa loqui
Eſt muliebre nefas, prorſus vulgareque crimen
  Cordi diſſimiles ore tuliſſe ſonos.
Profert ſimpliciter vir res generoſus vt extant,
  Extollit verbis, amplificatque parum.
Ambages vitat, dubiæ, vociſque tenebras;
  Mendaci nnllum decipit ille dolo.
Simpliciter verum, ſimplex cor, verbaque poſcit,
  Innocuum nudum comparuiſſe volet.
Qui verò fallit mendax ſermonis opaci
  Cæca nocte tegit res, tenebriſque ſuas.
Non bene qui loquitur paſſim mendacia ſpargens
  Haud lucem is veluti qui malefecit amat.
Idcirco bene cautus eris ne ſicut amictum,
  Sic diuerſa domi verba, habeaſque foris,
Frons, oculi, vultus, verum ne verba colorent
  Quod tamen occultum cor ſibi ab intus habet
Ipſa hominis fœdũ natura hoc crimen abhorret;
  Cerne precor puerum, qui rationis inops,

Calculat in primis falsum numeratque nefandis,
Assumatque licet pro leuitate sua:
Attamen innata prorsus condemnat ad orcum
Illud indicij dexteritate scelus.
Hic mirare Deum virtutis semina cordi
Plantantem, sine qua vita manere nequit.
Multa quidem sunt humanis damnosa diebus,
Falsa sed in cunctis perniciosa magis.
Nam si mixta viri non fers mendacia verbis,
Hæc indigna animo splendidiore putans
Viuere cur falsum, quin non horrescis & esse?
Res magna est vnum semet habere virum.
Simplicitas vano nunquam bene cognita mundo,
II Est Supero virtus sed pretiosa Deo.
Hac quasi delitijs, fruitur Moderator Olympi,
Miscens simplicibus blandula verba viris.
Integer ille etenim, simplexque per omnia cũ sit,
Ad se venturos appetit esse pares.
Simplex est, varias qui non velut vnda figuras
Induit, & talem duplicitate carens
Se gerit exterius, qualis seruatur ab intus,
Pandit & internos candidus ille sinus.
Tectum qui fuco sermonis pectus abhorret
In cuncto penitus paruulus estque malo.
Omnes prudenter cautus putat esse fideles,
Deque malum nullo suspiciosus habet.
Qui rationis inops, mundo stultusque videri
Non refugit, cœlo dum licet esse sophum.
Distrahit in varios quem non intentio fines,
Omnia sed Superis complaciturus agit.
Quid circum multa infelix astutia temet
Exagitas, vnum porro necesse tibi est.
Vt venias illuc simplex vbi Numen & vnum est,
Quò nunquam biuio, si gradiare, venis.

III.

III. Grandebonum! in cunctis mens est sincera
colenda,
Qua sine sufflertur fœdus amicitiæ;
Publica res nutat, rerum commercia cessant,
Optato nullum tramite vadit opus.
Et quamuis adeo virtus sit amabilis ista,
Rarior est mundo, nec bene nota tamen.
Passim contractus, tantis, tot testibus acti,
Scriptaque tam varijs littera firma modis,
Acta sub exactis rerum stipulatio formis,
Accusant hominum perfida facta, dolos.
Sufficit ista tamen vix dum cautela dolosis,
Vt conuenta satis firma manere queant.
Sunt abiecti adeo nonnulli, vt sanctior illis
Argenti questus, quàm sit amata fides.
Ah turpis mundo confessio fraudis apertæ!
Nullis absque damus testificante fidem.
Tutius in charta, scripto, tabulisque putantes
Cordis in archiuio quàm remanere fidem.
Sed vir constanter quæuis promissa fidelis
Exequitur, nulli cor aperitque suum.
Quam semel hosti etiam dederit, seruabit in-
æuum,
Et vitæ, ac regnis præferet ille, fidem.
Accelarata, dolor similis cum sæpe sequatur,
Spondere idcirco tardiùs ille solet.
Sed si promisit, verbum violare veretur,
Hac nisi vitandum sit ratione malum.
Nam iurata licet nullum promissio vincit
Crimine si quando perficienda foret.



CAPVT XXVI.

De amicitia, quibus officijs sit colenda: Præcepta quædam ad mutuam conuersationem pertinentia.

I. PLus nihil humanæ vitæ reor esse necessum
Cnmmodiùsque nihil quàm sit amicitia.
Mutuus hanc fundat nexus, virtusque duorum,
Et bona de alterna participata manu.
Quam bene cuncta fluunt videas vbi corda parata.
Quæ tuto capiant abdita quæque sinu.
Conscia te quorum mens non formidine tanta
Concutiat, quanta pectoris illa tui.
Sueuia verba;graues curas,recreentque labores,
Expediant sensus,consiliumque bonum.
Gaudia dispellant tristes de pectore nubes,
Afficiat visus, cordaque delicijs..
Dulce nimis sub sole virum tenuisse fidelem,
Crimina cui tutus confiteâre tua.
Ipsemet occursus lætum te reddere cuius,
Vtilis aspectus possit & esse tibi.
Sic quædam feriunt animalia dente minuto,
Fallunt vi sensum,decipiuntque leui;
Vulneris vt læso vestigia nulla relinquant,
Indicat at morsum fors tumefacta caro.
Hoc præstabit idem recti conuentus amici,
Proderit & nescis, qua ratione,tibi.
Blandus at esse nequit sinceri nexus amoris
Mutuus hunc si non conglomerarit amor.

Est

Est bene velle alijs radix, redamatio ramus,
Dilectum esse minus, maius amare bonum est.
Est sincerus, amor Christi quem vincit amicus,
Quem non conciliant vtiliora domus,
Obsequium mendax, vultus simulatio fallax:
Pagina sed studij sacra, timorque Dei.
Constat amicitiæ sola virtute catena,
Nullus & in vitio fidus amicus erit.
II. Selige sed magno verum discrimine amicum,
Complures modios salis edendo simul.
Experiare probis quatuor, quem poscis amicum;
Præ cunctis primùm re grauiore fide:
Cuius habet mundus solam non amplius vmbrã,
Vt tua, tutus ei teque sacrare queas.
Tenta etiam quali circum te fine regatur
Ne rem commaculet fœda cupido bonam.
Quid præstes illi doceat discretio prudens,
Quidue petas ab eo suggerat illa tibi.
Firmet ad extremum patientia pectus, amici
Vt mala pro rebus sustinuisse velis
His super adde probis, olim quibus vsus amicis,
Tempore quàm longo, qua ratione, suis.
Nam tibi venturum talem sperabis amicum,
Qualem se reliquis præbuit ille prius.
Diuitis est auri viuus fons fidus Achates,
Quo solo Cræsos tu superare potes.
Quem tibi propterea seruet custodia grandis
Vestis & amissum lugeat atra virum.
Fortunate nimis tali sociatus amico,
Qui te, fortunas non amet ille tuas.
Corrigat errantem, labentem portet in vlnis
Omnibus immotus permancatque malis.
Huic similis, cæli largus quacunque patescit
Ambitus, haud alter comperiendus erit.

Multi dicuntur, pauci numerantur amici,
Quos hoc præclarum nomen habere decet.
Qui se resque tuas finem collimat amandi,
Ille tibi nunquam verus amicus erit.
Dum fueris felix inter numeratur Achates:
Hospes sed mensa deficiente fugit.
Fallit amicitiæ spes nos permagna frequenter,
Definit inque odium sæpe putatus amor.
Qualiter hunc Medicus curat quem diligit ægrũ
III. Scalpello, læsi vulnera, & igne cauans.
Taliter errantem plectas audacter amicum,
Prætereundo nihil, dissimulando nihil.
Est nimis obsequium cunctis damnabile, per quod
Accipit augmentum vita nefanda suum.
Instrue secretò, deuitans fulmina linguæ,
Suauiter inducas ad meliora virum.
Multùm decernas quosdam dum prendis amicos,
Corde, sed admissos, intimiore, foue:
Cum quibus, ac veluti tractando negotia tecum.
Absque timore tuas res agitare potes.
Nil tua vita tibi committat tale quod ipsis
Hostibus haud valeas participare tuis:
Sed quia consuetus fecit mos abdita quædam,
Hæc nouisse nisi fidus amicus habet.
Quidam quod solis committi debet amicis,
Auribus id vulgi deposuisse solet.
Alter nec charo pectus confidit Achati,
Omneque secretum corde tacente premit.
Vt sibi si fieri posset non crederet ipsi,
Et notæ nollet conscius esse rei.
Est vitium, cunctis, pariter quoque credere nulli,
Hoc tutum magis est, illud honorificum.
Si cupias nullo verbum miscere periclo
Cum quouis, fieri non graue pondus erit.

Haud

Haud celando quidē,ſed nil patrando quod alter
Ne fortaſſe ſciat, corda pauore tremis.
IV. Eſt affabilitas cunctis affinis amicis,
Præbet & humanis moribus illa modum.
Multa viros audire decet, quos fama probatæ
Commendat vitæ, paucula verba loqui.
Eſt vitium ſciri potiùs,quàm diſcere velle.
Cognoſci potiùs, quàm bene noſſe alios.
Damnoſâ proprias dextrâ diſpergere merces
Quàm ſua,vicini multiplicare bonis.
Moribus illius cum quo conuiuis oportet
Aſueſcas, verbis compoſitiſque minus.
Plurima cum multi puerilia, falſaque dicant,
Ad rem quæque putes pertinuiſſe nihil,
Talia prudenti toleres moderamine; ineptos
Vicini mores diſſimulando tui.
Eſt muliebre nimis ſocios duntaxat habere
Qui dictis plaudant ore, manuque tuis.
De te,deque tuis rebus non multa loquâre,
Inque tuis caueas ſenſibus eſſe tenax.
Quæque magiſterium ſapiunt non vtere verbis;
Hæc, tumidi indicium pectoris eſſe ſolent.
Si videas aliquem contra feciſſe decorum,
Ne ſimili vitio commaculêre,vide.
Omnibus è rebus tandem quas cernis, & audis,
Vitæ profectum carpere diſce tuæ.
Res bene tecum agitur, viſum ſi crimen amici,
Emendet vitam,perficiatque tuam.
V. Vſibus inſolitum patrijs ſi lumina oberret,
Illud continuo tu reprobare caue;
Nam leuis eſt animi ridere aliena, ſtupere,
Et rebus tantum complacuiſſe ſuis.
Qualiter in ſe ſunt,eſt pondus rebus habendum,
Haud, oculis ſubſunt qua ratione tuis.

Ars,nouitas,grauitas,rerum dant pondera plebi,
Rumor,p mpa,foris qui nitet ipse color:
Sed rerum sapiens pretium scrutatur ab intro,
Contemnens vulgus quæ pretiosa vocat.
Quidquid contigerit;fructus tibi pendet ab inde,
Tu caue prouentum strinxeris ipse tuum.
Hic(licitum tibi) personas sectare theatri,
Quæ lachrymas fundunt absque dolore suas;
Dant sine decretis centum decreta, iubentque,
Carpunt,obiurgant, absque furore tamen.
Oh vtinam socios talem te gesseris inter !
Moribus affectu,te spoliando tuis .
Quid præter magnum spectatur in orbe theatrũ?
Scenicus in quali quilibet actor homo est :
Hic, quantum poteris, toto conamine cures,
Vt potius spectes,quàm leuis actor agas.
Exhibet in scena semet quicunque,laborat,
Spectator risu diffluit, atque iocis.

CAPVT XXVII.

De liberalitate. Quid sit, & qualiter exercenda. Quomodo differat à magnificentia.

I. NOn habet iratus nummis,virtutis honorem
Aes,qui non donat.proijcit imò suum .
Qui pro posse decens confert,hic largus habetur,
Qui,quibus impendit, tempore quoque videt.
Quiq;suis nunquam spectat sua commoda donis,
Sed cui donauit commoda mille viri,

Ero-

Erogat hæc virtus nummos,nummosq; recepτat.
Sed dare præcipuum munus habere ſolet.
Qui dedit eſt felix, non qui collata recepit ,
Dum deêſt quod tribuas, eſt dare velle,ſatis.
In dando ſemper potius ſpectanda voluntas ,
Vt vir proficuus talis & eſſe velit .
Nemo refert grates,pelagi, vel fluminis vndis,
Quod volitare rates per ſua dorſa ferant.
Arboribus,quod dent fructus, ventiſque, ſecundi
Quod ſpirent, iſtis nam bene velle deeſt.
Quæ donare voles, citius tua munera præſtes;
Qui citò dat, donum duplicat ille ſuum.
Sunt queis depereat totalis gratia doni
Mœſtitia obductis munera dando genis,
In plures referendo dies promiſſa ; Clientes,
Sic miſeros lactant ſpe,cruciantque ſuos.
Cum citò ſit propriũ dare dantis dona libenter,
Non veniunt animo munera tarda bono.
Omnis amat properante manu conferri ebenignius
III. Munera,quæ recreant obuia facta magis
Viuit reſpectans tantum ſe nemo beatus ,
Quiue ſuæ curam commoditatis habet .
Res commiſſa tibi eſt,alienis parcere noli ,
Si tibi contendas viuere,viue alijs .
Quidquid ferratis ſeruat cuſtodia clauſtris,
Quæque ex alterius ſanguine rapta , tuo
Defendis; minimè tua ſunt,ſed pignora tantum,
Et dominus , dextras hæc ſuper alter habet.
Hoſtis ea inuadet, vel par animo hoſtibus hæres,
Donando hæc facies,non aliterque tua.
Quid precor eſt,adeo quo tu perſuaſus abundas?
Prata, pecus, tectum, vinea, nummus,ager.
Fratribus iſta tuis virtus donare futura eſt ,
Quæ tecum, nunquam deperitura, manet.

Tempore quo magis est pretiosa pecunia quæris?
III. Cum donata alijs desinit esse tua.
Sumptibus exiguis nequeant cum māgna patrari,
Et deceant summos maxima quæque viros.
Magnifici est, æris grandes expendere summas,
Sed medias virtus altera pendit opes.
Hæc etiam in paruis, tantùm sublimibus illa
Monstratur rebus, cætera sunt similes.
Cui res est angusta domi profusior, at non
Magnificus; diues, talis at esse potest.
Hunc propriè in magna nitidum mirabere mole,
Quam locat excelsis nubibus illa parem.
Qui grandis pretij diuinis vsibus addit
Gemmas, dic largum, magnificumque nega.
At si gemmarum pretio sanctissima curet
Templa Deo, sacras, Presbyterisque togas,
Aut opus huic simile, & mirum construxerit, ille
Magnifici iustè nomen habere potest.
Sub titulo ast operum magnis quæ sumptibus extant,
Sunt populi, spectant quæ Superûmque decus.
In quibus est ratio iusto spectanda decori,
Vt faciens, operi par sit in ære suo.
Non est magnificus qui plus profundit, habere
Quàm valet, alterius deprimit ære suos
Magnificè donans, verè largissimus ille est
Qui quod donauit, se spoliando dedit.



CA-

CAPVT XXVIII.

De fortitudine. Quæ sint eius officia; Mortem à viro forti contemnendam esse.

I. SVnt animi molles hominum,naturaq;fracta
Idcirco fortes conuenit esse viros,
Scilicet vt minimè nos sternat inane periclum,
Reddat honestatis nos memoresque sacræ.
Duplex virtutem munus comitatur eandem,
Primùm constanti pectore damna pati;
Dêinde eadē blandè complecti ambabus,vt aiunt
Vlnis,si quandò tempus,& astra volunt.
Vir mala proteruè fortis non prouocat ipse,
Sed quæ proueniunt hæc patienter habet.
Non petit,at spernit plenum formidine damnum
Depressisque alijs tollit in astra caput.
Atque vbi turba iacet, gradibus stat firmior ille,
Haud illum subigit dedecus,haudque pudor.
Exilium, tormenta, repulsa, iniuria,carcer,
Ipsaque non terret mortis imago feræ.
Tristitiam, morbos,falsas de lumine guttas,
Excipit excelso cuncta molesta sinu.
Non precibus linqnit,non recta pauore, minisq;
Inceptam constans prosequitu:que viam.
Nec semel accepto statuit cum munere luctam,
Persistens donec perficiatur opus.
Non cedit, quouis sed stat sub pondere rectus,
Viribus haud vllis efficiturque minor.
Mille licet veniant omni de parte pericla
Virtutem haud celat,nec iacit ille suam.

At-

Quiſquis amans Numen ſuffert tormenta libẽter
  Pœnas delitiæ talis ad inſtar habet.
III. Clariùs Herculei nuſquam conſtantia lucet
  Pectoris, ac dum ſors eſt ſubeunda necis.
Difficile eſt illuc animum perducere vt ille
  Fortunas,vitam deſpiciatque ſuam :
Cuius amore adeo grandi plerique tenentur,
  Vt ſibi nulla habeant hâc precioſa magis.
Sed ſapiens,fontem vitæ,finemque malorum,
  Tu caueas lethum connumerare malis .
Mors habet inuictum, & non declinabile fatum,
  Quod timet inſipiens, nec tamen effugiet,
Expectare etenim certò ventura ſolemus,
  Sed quæ ſunt nuſquam certa , timere mala.
Cerne precor pueros,inopes,aut mentis amaræ,
  Vt nihil horreſcunt tela cruenta necis.
Turpe eſt ſi tutam ratio non poſſit habere
  Vitam defectus quam rationis habet.
Viuere non voluit mortem quicunque recuſat,
  Hac etenim vita eſt conditione data.
Gratia facta homini , rerum ſpectacula quando
  IV.Natura,ad certum tempus habenda dedit:
Tempore tranſacto, iam iam diſcedere iuſſus,
  Ignoro valeas quo ſtrepitare modo.
Ad ſua quis vitæ ſapiens extrema redactus,
  In vitam rurſus ſi remeare detur ,
Materni gremij ſubiſſe ergaſtula vellet?
  Et ſine,vagitus edere, mente, graues?
Horrores vanos pueri , vel damna iuuentæ,
  Atque viri curas, laſſaque membra ſenis ?
Nemo adeo felix mortales clauſerit annos ,
  Editus in mundum rurſus vt eſſe velit .
Cerne igitur quorſum properas,diſcedis & vnde
  Promptus abit cælo quem meliora manent.

Quiſ-

Quiſquis at extorris vixit virtutibus, horret;
Quas,niſi nunc,dum non poſſit habere cupit.
Vir iuſtus vitam pœnæ reputaret ad inſtar,
Si non hæc fato præcipitanda foret.
V,Nemo tulit mortem vultu iucundus acerbam,
Expectata cui non fuit illa prius .
Fac igitur ſit amica tibi meditata frequenter,
Et veniens alacri ſuſcipienda animo.
Non ſatis is vixit, multos qui computat annos,
Ad fontem ſed qui geſtit abire ſuum.
Qui bene decedit longæuos vixit in annos,
Et bene qui vixit deſinit ille bene .
Vis tibi tranquillum lethum componere ab alto
Quidquid ineſt toti temnere diſce ſolo.
Quiſquis plura ſibi quàm mors rapuiſſet iniqua
Surripuit,diram non timet ille necem.
Optas præſentem lætus traducere vitam ?
Te nulla illius ſollicitudo grauet .
Ad necis omne genus ſæuæ licet, eſto paratus,
Seu gladius vitam , ſeu febris abripiat .
Vt liceat tutò verbum tibi dicere, vixi
Quotidie vitam taliter inſtitue.
Securus viuit, moritur lætiſſimus, effert
Ad tumulum qui ſe ſæpius ipſe ſuum ,
Et cui conceſſa eſt poſt vitam, vita,peractam,
Non viuis, ſemper ni moriare, bene.



CAPVT XXIX.

De magnanimitate. Viri magnanimi descriptio.

I. IPso magnanimi magnum quid nomine uirtus
Innuit,excelso tendit ad alta pede.
Hac sine,virtutum quæuis conamina, quamuis
Sacra,ruunt, penitus proficiuntque nihil.
Nam graue cũ nimiùm sit opus virtutis agendæ,
Audaci debet mens penetrare manu:
Non priùs absistens,vectes quàm rumpat iniquos
Ad finem veniat propositique boni;
Hoc homini præstat quæ ducit ad ardua virtus,
Semper & egregium condere suadet opus.
Atque Dei submissa manu rem pronior omnem
Aggreditur lætè, sit licet illa grauis.
Aude aliquid si vis quidquam sub sole videri;
Haud constare leui res grauis vlla solet.
Res est magna satis genijs, & compar Olympi,
Dum talis verè est,qualis habetur homo.
II. Magnus ad alta animus sẽper suspirat,& illa
Quæ plebs magnificat,parua, nec vlla tenet.
Facta quidem multo condigna operatur honore,
Spernit at hunc,aliter ni Deus ipse velit.
Subijcit haud oculis, sed cordis celat abysso,
Pensaque non operum plebis ab ore petit.
Semper in excelso stat mentis culmine victor;
Omni par rerum conditione sibi.
Non loca, non maiora sibi,se,munera quærit
Contentus viuit, quem tenet ille gradu.
Cun-

Cunctorũ Dominus, fertur super omnia mente,
Propterea nulli subdita colla gerit.
Inusis nullum precibus, pretioque fatigat
Namque domi, diues, cuius egeret, habet.
Nil ipsum terret, non damnis sternitur vllis,
Et lucem, proles optima lucis, amat,
Prodit & in medium cupidus spectabilis esse,
Ambitus nullo tractus odore tamen:
Sed bene pensatis, quo culmine staret honoris
Cœlitus acceptis muneribusque Dei.
His opibus diues Supremum Numen adorat,
Cui velut authori singula dona refert,
Nouit enim fidei, penetrandoque lumine mentis,
Se nihil esse, nihil posse, tenere nihil.
Hoc est virtutis solitos agnoscere fines,
Submissè de se, deque putare suis.
Attamen oblatum timidus sibi sumit honorem,
Gloria non quæri, debet at illa sequi.
III. Excipit immotis contraria tela lacertis
Dummodo virtutis culmen adire queat;
Cum medijs tractat, paruisque modestus agenda,
Coram Principibus, diuitibusque viris
Non se profundit, blandis nec mulcet eosdem,
Non vult mancipij liber & esse loco.
Pro rerum meritis clarè rem spernit, amatue
Absque metu loquitur, spe sine agenda facit.
Qua reliqui faciunt hominum facit ille libenter,
Distat agendorum fine, modoque tamen.
Difficilem magnis dat se congressibus vrbis,
Cumque rudi populo dissimulanter agit.
Non malefactorum meminit, non cõputat hostes,
Nec patitur querulus quæ toleranda forent.
Collaudat paucos, alitur nec laudibus ipse.
Sed tamen æternis laudibus apta facit.

Al-

Alterius nutu vitam non ducit, amici
  Excepto forsan, Præpositique sui.
Cumque nouum magnumue nihil videatur eidẽ,
  Omnibus attonitis ille stupere nequit.
Casibus aduersis, fuso stat firmior ære,
  Motibus in cunctis tardus: at absque nota.
Vtitur ore graui, firmo sermone perorat.
  Nam non festinat qui breuis esse volet.
Haud nimio rebus studio contendit agendis,
  Vtpote contentus partibus ipse suis.

CAPVT XXX.

De patientia. Eius occasiones & affectus Indicia veræ patientiæ. Ad omnia mala ferenda parænesis & documenta. Necessitas perseuerantiæ.

I. MAxima morales inter patientia virtus,
  Aequo fert animo quodlibet vna malum.
Sed cum multa premant homines incommoda mundo,
  Hæc etiam varium nomen ab inde tulit.
Cui toleranda venit generoso iniuria corde,
  Is proprium nomen perpetientis habet.
Tranquillè tolerans casus, & damna bonorum
  Quæ tenet exterius, dicitur æquanimus.
Cui dilata quatit rerum fiducia pectus,
  Longanimus, si non deijciatur, erit.
Alterius, proprium, vnius communeue damnum,
  Constans est animus qui tolerare iubet.

Sæpius offertur f cienda ex omnibus vna
Et datur hac virtus crebra nec vlla magis.
Tot mala quæ patimur tot queîs circumdamur hoſtes.
Ardua, vitã hominis quid niſi ad arma vocãt?
Labitur abſque fero nullum certamine tempus,
Alter abeſt, ſibimet quilibet hoſtis erit.
De nobis veniunt, noſtro naſcuntur in horto,
Quæ nos exercent? quæ cruciantque mala.
Ducimus à fletu noſtræ primordia vitæ
Ad lacrymas docti, cœtera cuncta rudes.
Diſcimus hoc primùm, ſtudio verſamur in iſto
Pallentis ſerám mortis ad vſque diem.
Qui non riſerunt centum numerabis, & vltra,
Qui non fleuiſſet nullus habetur homo.
Ergo animæ ad robur, cordis munimen, & omnē
Vitæ profectum, te patienter habe.
Nemo ſuum nouit nunquam patiendo valorem
Sit niſi quis patiens, eſſe nequit ſapiens.
II. Stant male res hominis, quem non fortuna ſiniſtra
Iactarit fragilem iactat vt vnda ratim.
Tantò plus ægrum medicus curando veretur,
Infirmus quantò firmior ante fuit.
Nauita ſæpe etiam ſuſpectum tempus habebit,
Quantumuis ſalſis tergora criſpet aquis.
Dum mala te vitæ miſerum millena flagellant
Non ſceleris pœnas, experimenta putes.
Qui certat vincit, qui vincit & ipſe triumphat,
Non alter, pugnax vir niſi vincit, ouat.
Plurima cum fuerit Chriſto ſufferre neceſſum
Vt dominus regnum ſumeret ipſe ſuum.
Tu patiendo nihil, terræ non vtile pondus,
Pro nihilo alterius regna ſubire velis?

Qui

Qui cœleste sibi diuersum fingit ab isto,
  Errat, iter, toto non capiturque polo.
Omnia virtutum mysteria iustus habebit,
  Si bona sectetur, si toleretque mala.
Quem verò monstrat patientia quæris adepta?
  Aequanimus, si quis fert aliena mala.
Qui cælo lapsas patitur sine murmure pœnas,
  Nec malefactorum labra, fugitque domos:
Angores inter diuinum Numen adorat,
  Omnibus in damnis se que silenter habet.
Qui sibi crudeles fraternè diligit hostes,
  Quæ patitur soli conqueriturque Deo.
Qui non impatiens fert imperfecta propinqui,
  Hic verè, & patiens noscitur esse satis.
III Si bona iacturis perdas externa, dolorem
  Fac horum fragili conditione leuem.
Quæ retines vel amas natura fugacia fecit,
  Nec dominum noscunt deperitura suum.
Nil firmum infirmo, virtus manet vnica semper,
  Durat & æternos intemerata dies.
Hoc nusquam mortale datur mortalibus vnum,
  Secum de reliquo cætera funus habent.
Quæ tua sunt igitur tali statione reponas,
  Longiùs vt distent, sintque remota tibi.
Nil fortuna viris rapiet nil latro, probatis,
  Qui possessa, velut non sua cuncta tenent.
Cur gemis amissos nummos, cur pignora rapta,
  Magnificæ flammis tecta cremata domus?
Sed dum forte pudor, perijtq; modestia prorsus
  Labitur ex oculis guttula nulla tuis.
Attamen hæc bona sunt certo tibi subdita iure,
  Nec bona sunt, vllo iure, nec illa, tenes.
Si super amissis nimio cruciâre dolore,
  Te simili dignum perditione probas.

Absit

Abſit varius amor, te nil deperdere credes:
  Cauſa eſt, amiſſa re doleatur amor.
Cum nihil externum ſapientis pectora tangat,
  Angit propterea mortificatque nihil.
Quidquid agas operis partes mens ſępe reuoluat,
IV. Nam male præuiſas experiere graues.
Inclamas puerum, nec præſto eſt forte vocanti,
  Aut præſens, voto nil facit ille tuo.
Pergis vt inuiſas quendam, ſed limine clauſo
  Quâ venis illuſum linquit abire viâ
Hos, ſi præuideas ſucceſſus mente ſiniſtros
  Euenient animo cuncta ſecunda tuo.
Admiſſis alijs, tu non admiſſus ab illo,
  Auertit faciem verba nec vlla dedit,
Sedibus in primis illos, te ponit in imis,
  Et defert meritis inferiora tuis:.
Hæ Stomachabundo veniunt de corde querelæ,
  Quas imprudentum garrula labra vomunt.
Non hæc obſeruat, qui non his fixit amorem,
  Cenſum labentis nouit & eſſe ſoli.
Excelſæ virtutis opus tolerare, quod extra
  Poſſe tuum, melius reddere, forte nequis.
Si malus offendit, vel frons cui nulla relicta eſt,
  An mundo poſſit cogita abeſſe malus?
Si nequit hoc fieri, caſus non finge recentes
  Quod male more ſuo vir facit ille malus.
Quin caueas ne iuſte corripiare, quod illum;
  Tali facturum, non, ratione, vides.
Qui fuerat remanet mundus labentibus annis,
  Sint homines ſcelerum diffluet orbis aquis.
Dum pateris iuſtas, culpæ, ne reſpice, pœnas,
  Supplicij cauſam: ſed tua facta vide.
Sis tibi veridicus maiore fatebere dignum
  Te pœnâ: eueniunt hæc faciente Deo.

Per-

Percutit vt ſanet, firmet cæleſtibus aptet;
Hos quibus indulget, ditis habebit aqua
Vnde precor noſcã rerum moderameñ amantẽ,
Si tibi diluuiat diuitis vnda tagi?
Vnde ſciam conſtans, odijs non flexile pectus,
Plauſu te populi conſenuiſſe videns;
Qui reliquos recreare ſoles, ſolare dolentem
Temet, & irriguis inijce fræna genis.
Cur medico grates referens tua mẽbra ſecanti,
Cælituum medicas reſpuis vſque manus?
Qui reputat damnum, quod lucrum debet haberi
Stultitiæ talis ſigna dat alta ſuæ.
Morbus paupertas, & cætera turba malorum;
Talia, vocalis ſi foret, ore daret.
Cur mihi mortalis pergis contrariùs eſſe?
Oro quibus priuat te mea culpa bonis?
Prudentem, iuſtum, firmum, fortemque videri,
Aut mecum læto non licet eſſe animo?
Quæ mala forte putas victor ſi preſſeris illa,
Optima erunt, magnum, non mala ferre, malum eſt.
VI. Caſibus alterius conſtans abſcondere pectus,
In proprijs nunquam diſſimulare potes.
Cum miſeris pariter lachrymarum flumen inunda,
Sed, fletus cauſa non teneâre pari,
Vt releues miſeros tantiſper flectêre ad illos.
Proſtratum, recto corpore, nemo leuat.
Sed quia protendunt res bina manubria; quodam
Ferre potes, alio, ſuſtinuiſſe nequis:
Si quis te offendit, non illum parte prehende
Offenſæ, hac etenim non tolerandus erit.
Sed penſa tecum communi ſanguine Chriſti
Emptum, cœleſtis participemque boni.

Sic illum qua parte potes sufferre, prehensum,
Portabis leuiter, sit licet ille grauis.
Cum sit amicitiæ nimium vox parua, leuisque,
Carpat vt errantem cuius amore calet,
Semper ab aduersa verum tibi parte studebis
Dici, præcunctis vera loquente magis.
Hæc defixa tuis seruat sua lumina rebus,
Obseruat, gressus, connumeratque tuos.
Hinc tua te leuiter factorum crimina fallent,
Effugient hostem nulla nefanda tuum.
Per vicos ducet, clausum monstrabit in ira
Si quod in interno pectore vulnus habes.
Hoc tibi profectum virtutis sume magistro,
Disce salutiferæ, consiliumque viæ.
VII. Quisq; suæ melius vitæ circumspicit actus,
Dum sibi censores nouit adesse graues.
Fine peroptato virtutes ille coronat,
Qui bene ad extremam vixerit vsque diem.
Spondentur capiti, dantur sed præmia fini:
Non nisi conclusum, laude superbit opus.
Vt tibi præ reliquis constes, curaueris ergo:
Vtile non adeo quod citò transit, erit.
Si non prima sequi conaris, laberis, & si
Non facias gressum proficiendo, redis.
Inconstans animo est, qui sæpe negotia mutat,
Cuique nouis semper sedibus esse placet.
Non alijs hominem terris iuuat esse scelestum,
Sed mores alios, quo stat habere, loco.
Crebra facit tandem siccam plantatio plantam,
Et medicina nocet quæ variata fuit.
Immemor actorum solùm facienda reuoluit
Paulus, perfectum se tenuisse negans.
Quid rogo tu facies? cuius primordia vitæ,
Oh vtinam finis possit habere tuæ.

Tem-

Tempore non vllo doctrinæ flamma tepescit,
Actis inexhaustus nec satiatur amor.
Quod perit, absq; modo, grandi volumusq; labore;
Gustanti leuiter cælica, dissipiunt.
Quos Pater æthereus similes sibi iusserit esse
Perfectis aliter conuenit esse viris.
Vt superesse putes spatium complebile semper,
Hæc data virtuti maxima meta tuæ.

CAPVT XXXI.

De temperantia. Quantum illi conferat verecundia. De abstinentia, & castitate.

I. DElitias quas gustus habet, tactusq; requirit
Istius virtus temperat vna notæ.
Excessus vitat, quæ sunt peregrina refellit,
Quod suadet ratio quod satis estque capit.
Humanam iusta librat sartagine vitam,
Corpus alendo, cauet, luxuriando premat.
Hæc hominē virtus solito sub schemmate seruat,
Nec sinit in brutum degenerare ferum.
Hanc timor innatus prauorum regula morum
Adiuuat, atque index indolis ille bonæ.
Pleniùs hoc menti disces dominante magistro
Illecebræ cunctas extimuisse genas.
Omneque non licitum peius vitare veneno,
Credere præsentem semper adesse Deum.
Omnibus in mundi spatijs seruare decorem,
Diuitijs nomeň præposuisse bonum;
Et quod duntaxat splendet virtute sub ista,
Internum mentis semper amare decus.

Porro verecundus fueris cum nomen ad ipſum
Exceſſus, nimio membra pauore tremes.
Te tua quando tegent, non cōdent tecta Penatū
Non ſceleri, vitæ ſed famulata tuæ.
Quid precor abſcondi cæca quid nocte recondi,
Mortales oculos quid fugitare iuuat?
Semper adeſt Numen tecum, quod cernit vbique
Et vadis tecum proditor ipſe tuus.
II. Sobrietas, æquum potus moderamen & eſus
At virtus, tactum, caſtior iſta regit.
Atque quidem iuſtās nunquā tranſcendere vētris
In dapibus metas, res operoſa nimis.
Appellat, poſcit venter, mandataque neſcit,
Quotidie paſtus exigit ille ſuos.
Quam tamen exiguo poſſit contentus haberi,
Dicenti nemo credulus eſſe volet.
Naturam vitijs facimus ſeruire coactam,
E ſolito miſeram deijcimuſque gradu,
Quando gulam varijs vltra ſuccendimus eſcis,
Perfacili medio quæ ſaturanda foret.
Tot quoque crudeles inter certaminis arcus
Illæſum à telo cypridis eſſe graue eſt.
Hos niſi forte timor veniens confringat ab alto
Numinis elabens commoditaſque fuget,
Et poliphæma vagi vigilans cuſtodia ſenſus,
Maxîmus ipſius cultus honorque viri.
Quem pudor ingenitus retinere à crimine neſcit
Huic etiam ſocius nemo verendus erit.
Caſtior eſſe cupis? ſepi velamine viſum,
Incautè ne quid, vellèque præter, ames.
Quid formoſa rei miraris labra fugacis?
Expecta nuſquam poſt breue tempus erit.
Rugæ ſqualleutes formoſum frontis arabunt
Solem, oculique facem, nubila mæſta tegent,
Mol-

Mollitiem, prauæque domus consortia vites,
Exiguo carnem pasce domaque cibo.
Durius hanc tracta, tumuli nisi stultus amator
Ipse tui, miserum te perijsse velis.
Aethereæ partis tetrum quicunque sepulchrum
Insipiens æquo plus amat, ille perit.

CAPVT XXXII.

De mansuetudine, & clementia. Vtriusq; officia, & præstantia.

I. MAnsuetudo, animi stringit moderamine motus,
Ne minus, aut vltra commoueâre, tui.
Iram prouidit veluti natura sagittam,
Vti quâ tutò crimine & absque potes.
Plectere peccantes ex munere quando teneris,
Est prudens animi consiliumque tui,
Vt tua, vel referat sociorum iniuria pœnas,
Ne dentur Scelerum libera fræna malis:
Qui nulli parcit, ferus est, similisque tyranno;
Qui cunctis parcit non minus ille ferus.
Iustitia poscente, reos dum plectere debes;
Supplicium lenis, compatiensque dabis.
Inuitus puni, talis peccantibus esse
Disce, tibi Numen quale frequenter habes:
Qualiter vt melior fias te sustinet illud,
Sic meliorandos tu patiâre malos.
Affixi lecto læsam quicumque salutem
Desperat medicam despicit ille manum.
Quanta est curantis sapientia blanda Magistri,
Spes vitæ est ægro tanta relicta suæ.

Vir mitis, pelago scopulus velut, eminet iræ,
Dissoluens firmo turbida quæque sinu:
Nec semper sceleris pœnas deposcit at illi
Sæpe est errantem pœnituisse satis.
Profuso totum redimit qui sanguine mundum
Aduocat humanum vociferando genus,
Accelerate omnes: doctrinam discite nostram,
Non lepram, gelidas vel pepulisse febres,
Non cœcis oculos, non functis reddere vitam,
Sed quia sum mitis, discite, & este pares.
Hæc est tota poli melior sapientia, mitis
Vt fias agno consimilisquê Dei.
II. Mansuetudo iram, frænat clementia pœnas:
Illa omnes, magnos respicit ista viros.
Huius enim sacrum virtutis munus habetur,
Plectere supplicio, iure minore reos;
Hocque agere ; ex animi pura bonitate benigni,
Quem non vrget amor, non retrahitque pauor
Non opus est celsi costas præscindere montis,
Ardua inaccessis ponere castra locis:
Saluos in campis Reges præstabit apertis
Feruidus in mites plebis amantis amor.
Hostibus inuictum est domini clementia castrum,
Quæ tutum reddit Principis imperium.
Quem timet, inuisum tolerat plebs subdita Regẽ,
Inuisusque suis, esse verendus amat.
Quem subiecta timet dominum plebs odit eundẽ
Et quem quisque odit disperijsse cupit.
Quisquis vitales carnis despexerit auras,
Est dominus vitæ Principis ille sui.
Invanum munit præcelsa potentia quemquam,
Plebei qui non mænia amoris habet.
Vt multo Medici fædatur funere nomen,
Sic turpe est grandi plurima pœna viro.

Quando ſuæ vires frœno Rex continet iræ,
Tunc verè nomen Regis, & omen habet.
Rebus in aduerſis tranquillo pectore ferri,
Eſt animi pulchrum Principis iſtud opus.

CAPVT XXXIII.

De modeſtia. Munus duplex ſtudioſitatis. Quæ regula in vſu Eutrapeliæ ſeruanda.

I. EXornat reliquas externa modeſtia dotes,
Format honeſtatem, retrahit â vitijs.
Sermo licet taceat, veſtis te prodet, & actus,
E minimis virtus carpit amata probam.
Inceſſus, vultus, riſus, quin luminis ictus,
Sæpe hominem produnt quid ſit, & abſq; dolo.
Viuere ſic ſatagas, vt te quicunque videbit
Angelicis dignum cenſeat eſſe choris.
Geſtibus, aſpectu, ſerues in voce decorum,
Vt tibi durum inſit vel muliebre nihil.
Corpus ad extremum, ſincera modeſtia cordis,
Interna morum de grauitate fluit;
Vt foris aſpiciens quaſi mens anathema bonorum
Delitias animi ſumat ab inde ſui.
Viua Dei ſimulacra viros credam eſſe modeſtos,
Qui viſu reliquos compoſuiſſe queant.
Dicere quis valeat quàm ſit res magna videri,
Certaque de intuitu lucra dediſſe ſui.
Eſt quoque conditio ſtatus retinenda modeſto,
Ne nimis excedat veſte, domo, famulis:
Non tu, quæ te circumſtant ornantur ab iſtis,
Obijciuntque animo mille pericla tuo.

Cur gaudes igitur damnis? cur vana stupescis?
Et vitæ iactas impedimenta tuæ?
Quæ latus ista tuum cingit numerosa cateruæ
Seruorum, patriæ maxima pompa domus,
Quidam crudelis veluti est exercitus hostis,
A quo subduci, teque cauere nequis.
Hi tua facta notant, passim quæ verba loquaris
Nosse volunt, curant sed tua iussa parum.
Ingressu faciles, pondus, progressibus addunt,
Quos in fine satis nec tolerare potes.
II. Maiorem iustò doctrinæ stringere gustum
Munere de proprio vir studiosus habet.
Est quoque torpentem ipsius compellere mentem
Ad discenda, quibus plus opus esse videt;
Ingenijs fœcunda vagis natura beauit
Mortales, artis conscia & ipsa suæ,
Quàm formosa, manu larga donauerit orbi,
Nos spectatores iussit adesse suos:
Nam si magna adeo, subtilia, claraque nulli
Monstraret, fructum perderet illa sui.
Sed male naturæ donis nos vtimur istis;
Discere dum miseris perniciosa placet.
Non semper qui multa sapit, sapit ille, sed alter
Ad rem quod faciat, qui facit, ille sapit,
Congrua quapropter primùm discenda saluti:
Cætera non renuo qùo minus illa legas:
Dummodo sollicito quæ sunt perfecta labore
Ad mores referas vtiliora tuos.
Sed caue librorum ne te vaga lectio, firmo
Nec pede constantem, nec sinat esse loco.
Ingenijs certis insuda sæpe legendis,
Hæreat vt menti lectio certa magis.
III. Quod non alternat requies, durabile non est;
Marmora gutta leuis sæpe cadendo cauat.

Ce-

Cedenda eſt laſſæ quandoque remiſſio menti,
Aſſiduis curis blandaque danda quies.
Ardua qui populis mandata dedêre Licurgi
Quoſdam lætitijs inſtituêre dies.
In quibus ad campos palam ludêſque remiſſa
Acciperet vires feſſa iuuenta nouas.
Tu quoque labentem ſtudijs, releuabis amœnos
Ad campos mentem, temperiemque poli.
Et procul vrbani ſtrepitus clamoribus actis,
Vtere pace animi liberiore tui.
Decipulas auibus, vrſis ſubmitte moloſſos,
Piſcibus apta vncum, nam minus iſte nocet;
Concentu demulce aures, cythariſque ſonoris,
Innocuis recrea teque, tuoſque iocis:
Omnes abſque metu ludos admitte decoros,
Quos patitur ſtatus, conditioque tua.
Sunt quidam nimiùm ſeueri, hominumq; fugaces,
Qui ſubeunt tenebras ſole nitente ſuas.
A quibus haud ſermo prodit iucundior vnquam
Feſta licet fuerit ſiue profeſta dies.
Eſt implexa iocis hominum pars altera vanis
Arridere cui ſeria nulla queunt.
Hæc ſed ego vicibus credo varianda duabus,
Vt nec ſolus agas, nec comes eſto frequens.
Horrorem ſanet reſolutio blanda, laboris,
Atque remittentis tædia acerba labor.
Eſt quoque qui vires iuſta non ponderat vrna
Ipſe ſuas, diris imperijſque premit.
Nec reuocare ſciunt quidam nec mittere curas,
Extremè faciunt, omnia, & abſque modo.
Non ſatis eſt cepto ſolem ſacraſſe labori,
Nocte etiam donec deficiatur agunt.
Taliter in luſus pariter ſoluuntur inanes,
Ad prima vt poſſint vix reuocare gradum.

Interpone tuis igitur sic gaudia curis,
Illa sibi ne sit deseruisse graue.
Hæc bene facturo certos eutraplia fines
Præscribat, quos sit prӕterijsse nefas.
Optima quæq; notam subeunt, vitijque figuram,
Si fiant, quo non sunt facienda, modo.

CAPVT XXXIV.

De humilitate. In quo consistat. De cognitione sui. Veri humilis characterismus.

I. INuehit hanc primùm virtutem Christus in orbem,
Promouet exemplo, voce, sacraque docet.
Hęc post quatuor eas, quibus est à cardine nomē
Virtutes, primo est præcipuoque loco.
Cornua frangit enim ceruicis dura superbæ,
A qua fons omnis cepit in orbe mali.
Hæc nos vna Deo virtus coniungit amicos,
Cui placet exiguis se sociare viris.
Qua sine virtutum veluti fundamine, quidquid
Exstruitur, firmum, stabile, & esse nequit.
Et licet abiectam vili sub nomine possis
Credere, sub vili tegmine magna tenet.
Nec nisi virtutum stantes in culmine, virtus
Semper ad alta vocans connotat ista viros.
Absque periclo animi tentat præclara tumentis,
Labitur aggressæ nec grauitate rei.
Magnanimum facinus, celsumq; patrabit, eodem
Semper subsistens quo fuit ante gradu.

Non

Non ille humilis est, quem talem vulgus adorat,
Despectum nudè qui gerit ipse sui.
Sed qui mundanæ moderando laudis habenas
Ne fors excedat, deficiatque, cauet.
Poscere, virtutis tanquam stipendia, laudem,
Est humilis, bellè compositique viri.
Qui sectatur opus puro virtutis amore
Et non monstrari, sed cupit esse, bonus.
Non est legitimus quem virtus non dat honorem
Et clamat dominum res quasi rapta suum.
Sed quia subtili qua pollet acumine mentis
Est humilis iudex æquior ipse sui;
Omnem mundani fastum prope temnit honoris,
Nouit enim de se nil quod habere queat.
Ac etiam metuit iustum dum captat honorem,
Ne superent meritum feruida vota suum.
Tutiùs ille facit mundi qui spernit honorem,
Auget quo pacto multiplicatque magis.
II. Cur humilis non es quæris cognoscere causā
In promptu causa est: inscius ipse tui es.
De qua narranti citius falsissima credas
Dissita nulla magis regio in orbe datur.
Labilis est, imbellis homo, ex se corpus inerme,
Alteriusque miser semper egenus opis
Terræ congeries, animal putore refertum,
Quodq; nimis pronum pendet ad omne malum
Peruersi sensus, prauo sic feruet ab æstu,
Præferat vt cœli quæque caduca bonis;
Vita magis fragilis, rabies non acrior vlli,
Confususque pauor, prona libido magis.
Vnde tibi est igitur miserande superbia tanta
Mortalis? crescit tantus & vnde tumor?
Si qua tibi superest mentis scintilla cadentis,
Dedecus oro tuum probraque mille, vide.

Tunc perfectè humilis, cæli sublimibus aptus,
Didiceris quando noscere temet, eris.
III. Verè humilis prorsus se spernit, vilis haberi,
Non humilisque cupit, viuere talis amat.
In superos omnem qui se concernit honorem
Dirigit, in nullo fidit & ille sibi.
Gaudet contemptu, solo hoc elatior vno
Quod spernat laudes, despiciatque suas.
Ex se quidquid habet tacita sub mente reuoluit,
Pensat at in socio coëlica dona suo.
Sic alijs dum se collatum ponderat, æqua
Infra omnes positum lance ferente videt:
Est humilis conferre viri sua praua, propinqui,
Quæ tenet ille, bonis, muneribusque Dei.
Vnde licet cuivis perfectum semet habenti.
Peiorem cunctis absque putare dolo,
Versus ad hęc humilis pręlactum subditus audit
Alteriusque magis quàm sua vota facit.
Defectus proprios lucis producit ad auram,
Illatumque animo fert patiente malum.
Vilia iucundis, abiectaque suscipit, vlnis,
Esse grauis socijs, dissimilisque fugit.
Abstinet à multo sermone, latere peroptat,
Omnibus inferior se nihilumque putat.
Circumspectus agit, misto rebusque pudore,
Non loquitur verbum dum nisi cogit opus.
Idque senili adeo vultu facit, atque modesto,
Pro risu, lachrymis, vt maduisse putes.
Corporis incessu, latitat quæ pectore virtus
Pandit, defixum lumen ad ima gerens:
Non secus ac veluti iam iam sistendus adesset
Sedibus extremis iudicis ille Dei.
Conscius idcirco scelerum, incertusque salutis
Non oculos audet tollere ad astra suos.

Sed

Sed ſtans de longè votis feruentibus orat,
Peccati veniam poſſit habere ſui.
Deſpicit omne bonum mundi, pompaſq; fugaces;
Quidquid agit metuit ſuſpicione mali.
Qui nihil eſſe fide firma ſe credidit, ille,
Quod datur in toto, iudicat, orbe, nihil.

CAPVT XXXV.

De ſtatu perfectorum. Imago viri perfecti. Finis vitæ perfectæ vnio cum Deo.

I. RES cui nulla deeſt, refugit defectus & illũ
Perfectus verè eſt, terque beatus homo.
Ait illi, nil dêeſſe poteſt, tenet omnia diues,
Pectore qui niuibus candidiore micat.
Qui multa virtute Deo deuinctus adhæret,
Perpetuoque illi ſpiritus vnus adeſt.
Hæc eſt Chriſtiadum vitæ perfectio, finis.
Vltimus, ad qualem tendere quiſquis habet.
Omnia tunc etenim prorſus perfecta tenentur,
Sunt fini extremo quando reuincta ſuo.
Poſtera ſed vero Deus eſt tua meta, nec vnquam
Perficière prius quâm religâre Deo.
Haud iungi extremo fini, aut perfectior eſſe
Abſque Dei poteris te releuante manu:
Sed quia diuinis ſunt pauci illapſibus apti,
Vix quis perfectus proptereaque datur.
II. Vir perfectus is eſt, ſummiq; Tonantis amicus,
Quiſquis magnanimus nulla pericla timet;
Qui non immodico nummi ſuccenditur æſtu,
Aduerſas felix, fert patienſque vices.

Qui medijs damni placidus iactatur ab vndis:
Nil sibi qui læso nomine deêsse putat:
Et quæ mundus amat, vano metuitque pauore
Deridet, credens inferiora sibi.
Multis splendescit, solaris luminis instar,
Sed proprijs, animo quæ gerit ille, bonis.
Liber agendarum rerum, constantior ære,
Quodque sui vacuus, plenior inde Deo.
Cui bona non interna animi vis excutit vlla,
Qui mala scit proprijs annumerare bonis:
Cui res nulla perit, casu nec læditur vllo,
Omni condignum dat pretiumque rej.
Qui toto maior totum circumspicit orbem,
Obseruans mores actaque cuncta virûm;
Cuius pars melior semper tranquilla, moratur
Illic, principium duxerit vnde suum:
Vt figit radius solis sua spicula terræ,
Vnde venit, nullo motus ab inde gradu:
Sic vir perfectus nobis sociatur, adhærens
Parte, suo fini, sed meliore sui.
Cuius mens tranquilla, velut pacatior orbis
Regio supremi, nubila nulla subit.
Nescit defectus rerum, nil pectore nutat;
Quem dominum ausculant sæcula cuncta suũ.
Simplicibus, paucis, viuit contentus in vno
Lætos reiecta duplicitate dies.
Nil petit alterius, nec quidquam poscit ab extra,
Omne bonum, in gremio, prosperitatis habet.
Non sibi, non alijs, cœlo sed viuit, agitque,
Corporea promptus semper abire domo.
Hæc tibi sectanda est præsentis regula vitæ,
Te nil perfectum quatenus esse scias.
III. Quàm sit homo, multò res est perfectio maior
Hunc idcirco gradum scandere nemo valet.

Nu-

Nomine ni fuerit (quod dixit) tractus ab illo
Me sine nil fieri concomitante potest.
Prætereaque suam debet disponere mentem,
Perfectam quisquis poscit inire viam.
Finis perfectæ vitæ postremaque meta est
Intima cum celso fœdera habere Deo.
Qui non scandit homo affectu super omne creatũ
Consors naturæ Numinis esse nequit.
Parua caducarum duntaxat adhæsio rerum,
Exili remoræ par similisque fuit;
Vastas ista rates remis, velisque citatas,
In medio cursu sistere dente potest.
Accidit haud aliter multis animabus, onustas
Munera quas cœli, diuitiæque grauant:
Tangere felices cœli quæ littora possent,
Figeret has mundo ni vitiosus amor.
Apta viri nunquam supero mens Numinis entî
Vna nisi & simplex efficiatur, erit,

LAVS DEO.

Varia Anagrammata, & Epigrammata,

DE SANCTO PAVLO Primo Eremita.

Persecutione Deciana, Paulus fugit ad Eremum.

DVm furit insani Decij truculenta Tyrannis
Horrida Thebæus Paulus ad antra fugit.
Antra petit pulsus, pauidus latitatque cauernis,
Si quisquam debet quid iuuat esse probum?
Pellitur ad vastam mundi seruator eremum
Propterea debet nec iuuat esse pium?

De Tunica S. Pauli primi Eremitæ.

Nouit se palmam folijs palmaribus ergo
Membra tegit; tantùm vt forte retecta tegat?
Nusquam: sed folijs vestit palmaribus artus
Floreat vt iustus fructificetque magis.

Palma victum præbet Paulo.

Magnanimus fuluas contemnis gangis arenas
Proteris & Decij grande fauoris opus.
Blanda rebellantis carnis promissa triumphas,
Tartarei fastum præcipitasque canis,
Quàm bene promeritis victũ tibi palma ministrat
Vincenti siquidem manna dat ipse Deus.

Pal-

Palma victus, & vestitus Pauli.

Alter ab ingenio, manuum trahit alter ab arte
  Quo ventrem satiet, membraque nuda tegat,
Mars huic, & sæuos generosum pectus in hostes
  Splendida pro meritis fercla togamque parat.
Ergo qui carnem mundum, deuincis & orcum
  Palma tibi vestes præbeat atque cibos.

De dimidio panis fragmento.

Lustra aliquot postquam transegit Paulus eremo
  Succurit tabidæ Numen ab axe fami.
Sed cur dimidiæ Cereris fragmenta ministrat?
  Ne quæ frangendi cura relicta foret.

Aliud.

Cur volucris vastam coluit qui primus eremum
  Dimidio Paulum, pane cibare solet?
An furax reliquum Cereris sibi coruus opimæ
  Detinet? aut plures pascit ab inde viros?
Nec sibi credo tenet, defert nec pluribus escam,
  Pleniùs at cælo dat saturare famem.

Paulus ad excitatum pedibus Antonij sonitum claudit fores antri.

Lenta licet tacitò figat vestigia passu,
  Ast pede conciuit forte labante sonum.
Vix sonus ad rectas Pauli defertur ad aures
  Limina ad ipsa volat, clausaque vecte serat.
Mundani strepitus contemptor amator eremi
  Hinc patulas mentis claudere disce fores.

Ad

Ad fontem capiunt cibum.

Sumunt ad fontem misit quæ prandia cælum,
Forte sit vt propiùs fonte leuare sitim ?
Aut magis ad fontem vitæ venamque perennis
Supremi iussu Numinis istud agunt ?

De certamine super frangendo pane.

Quis Cererem primus frangat certamen obortũ,
Surgentem clausit nocte cadente diem.
Iste seni defert,iuri vult hospitis alter
Cedere non vllus sustinet esse prior .
Scilicet innata non indole priuat eremus,
Humanus syluas inter & esse potes.

Paulus ad inuoluendum suum corpus, pallium Athanasij rogat ab Antonio.

Qui vitam duxit centum quasi nudus ab annis
Pallia dum moritur tunc aliena rogat.
Cur proprios linquens alienos sumit amictus?
Scilicet vt Proprij nil ferat in tumulum.

Aliud.

Vix tunicam viuus, gestat sed pallia functus,
Ditior è vita siccine iustus abit ?

Aliud.

Viuit contentus tunicâ, moriturus anhelat
Pallia,nunquid mors ossea vestis eget ?
At bene cælestem conuiua vocatus ad aulam
Non nudus, bellè sed chlamydatus abit.

Ere-

Erecto vultu, extensisque in altum manibus moritur.

Vita,vigorque perit melior dum corpore pars it,
Membraque terreno pondere pressa cadunt.
Paulus at erecto moriens ad sidera vultu
Vergit,& exangues tollit ad astra manus.
Scilicet obsequijs animæ non dedita nunquam
Morte vel in ipsa membra ministra manent.

Aliud.

Palmas dum moritur,cœlo protendit vtrasque
Non datur exanimis forsan amata quies
Quin potius : verùm concessa capessat oportet,
Ergo sumpturus porrigit ille manus.

Leones fodiunt tumuli locum.

Non venit extincto Pardus celebrare vel Vrsus
Exequias Paulo,non Tygris, atque Lupus.
Prima sed accurrunt frondosæ animantia sylue
Ipso nam primos; funere,prima decent,

Inseruiunt bestiæ Paulo.

Fercla ministrat auis, tumulum fodiuntq;Leones
Quale ministerij munus hoc esse putas?
Sponte nec ista facit, non illi iussa capessunt
Imperium pariter cum ratione negant,
Sed qui supremis iustes dominabitur astris
Non etiam iussis inferiora regat?

An-

Antonius psalmos accinit ad tumulum Pauli.

Postquam contexit propria de veste cadauer
  Funus & egesto contumulauit agro.
Voce; licet rauca Psalmos modulatur & Hymnos
  Debuerat lachrymis, qui maduisse magis.
Sed quis cœlestes ausit temerare cateruas
  Miscens Angelicis plena dolore choris?

De veste quam Antonius hæreditauit à Paulo.

Quas tulit extincto vestes Antonius hæres
  Paulo, paschali sunt tegumenta die.
Omnia tempus habent: fugit hoc fortassis eudē
  Dum lætam Christi funerat ille diem.
Non reor ignorat solemnis festa diei,
  Nec mortis, vitæ tempus at ille colit.

PAVLVS EREMITA.

Anagramma.

Simulat pauere.

TRux quando insanum Decius vomit ore furorem
  Christiadas dira persequiturque manu,
Crudelis *simulat* fera tela *pauere* Tyranni
  Qui tamen impauidus sidera lapsa ferat.

Aliud.

Aliud.

Suaui repletam.

Lumina cor,animus,pectus quoq;Martis abhorret
Rupe sub exesa quæ sibi tecta parat.
Attamen hic *suaui* solamine ab axe *repletam*
Primus agit vitam: saxa mel ergo tenent?

Simulare pauet.

Suadent affines, cogit præbere Tyrannus
Thura Dijs, illi vel simulata probant:
Ast quia corde Deus,pariter venerãdus & ore est
Cælica thura Dijs, vel *simulare pauet*.

Vita plumea res.

Si seruare velim vitam, me perdere vitam
Cogis,quando iubes sacrificare Dijs.
Præsens *vita* Deci, credas mihi *plumea res* est
Vitam pro plumis dat nisi mentis inops.

Vi multa sapere.

Insequitur gladio Decius, vir fraude Sororis,
Vitam alter, non æs;alter vtrumque petit.
Vi multa sapere, & cælis insistere disco
Hos etenim nemo non violentus habet.

Rape vi salutem.

Si caro delitias,mundusque propinat honores,
Fundere styx pergat si Phlegetontis aquas.
Sume

Sume animum Miles, *rape vi* vi quære *salutem*
 Est maior cunctis vnica crede salus.

Vt rapiam leues.

Extensis morior, cælumque petentibus vlnis
 Quâ faciam causâ forte requiris ? habe.
Vt rapiam mecum grauidæ sine pondere carnis
 Gratia cælestis quos facit esse *leues.*

Velim superata.

Quo ter quinquennis properas? saxosa quid inter
 Syluarum iuuenis tegmina solus agis?
Delitias vitæ rutilos & temnis honores
 Non retinet charæ posteritatis amor ?
Hæc ego cuncta *velim* raro *superata* triumpho
 Atque bona soli cedere sorte Deo.

Laus pia emetur.

Auro laus emitur , fuluæ pretioue crumenæ
 Humana diues laude per astra volat.
Laus pia quo pretio quæres fortassis *emetur* ?
 Dico leui; hanc virtus comparat vna sibi.

Paleam veritus.

Antra peto iuuenis, rigidas habitoque cauernas
 Non homini socius, iungor at ipse feris :
Hæc *veritus paleam* mundanæ factito pompæ :
 Nam mihi non paleæ grana sed ipsa placent.

Tu palma ſeueri.

Atrox perſequitur gladijs & morte Tyrannus
Te rogo quid contra ſolus inermis ages?
Crudelem fugiam victrix *tu palma ſeueri*
Eſtne ſic Decij vel fugiendo potes?

Valeam peritus.

Primus & vnus eo, quin pergo ſecundus & alter
Cæleſtis noſtros dux meat ante pedes
Vt *valeam* rectam monſtrare *peritus* alumnis
Aſſecla non vereor dux ducis eſſe mei.

PRIMVS EREMITA.

Anagramma.

Vitarim ſemper.

LImina noſtra feris fruſtra ſed verbera cedunt
Prætereuntque aures diſſimulata meas.
Bellua conſtricto recubat ſub tegmine noſtro
Te quaſi crudelis quando repello ſtupes?
Deſine: *vitarim* parium conſortia *ſemper*
Ipſe homo trux homini nam Lupus eſſe ſolet.

Summa rei perit.

Diues opum patrios deſpectas Paule penates
Tetraque, veſte, bonis orbus,ad antra fugis.
Siccine vaſta rei pinguis tibi ſumma peribit?
Nec patrias hæres iure tenebis opes?

Sed pereant peritura: animæ qui prospera quæro
Summa rei patriæ non mihi credo *perit*.

Risum eme prati.

Ni fugias proprius prodet te sanguis auarus,
Adstruet & capiti mille pericla tuo.
Quamuis forte latens, vitam cum sanguine serues
Viues angustos suspicione dies.
Ergo fortunas Patris concede Sorori
Pectoris heu nimium tristia fata tui.
Atque tibi *risum* iucundi *eme* suadeo *prati*
Prata tua,& dulcis risus, eremus erit.

Meritus per ima.

Angelicos inter scandit cætusque chorosque
Pauli anima ætherei splendida regna poli.
Vnde putas *meritus* regnum sublime? *per ima*
Scilicet ima viuet, despicit alta Deus.

Maturis peremi.

Vix tibi vicinæ tempus denuntio mortis
Antoni; pariter fata subire placet.
Ast hoc *maturis* votum virtute *peremi*
Dum responsa dedi,non tua,quære Dei.

Immutare peris.

Quisquis ad abstrusam latitat sacratus eremum,
Vtilis haud alijs, viuit at ipse sibi.
Nullas cælestem Gentes perducit ad aulam,
Nec Mundi infandum fulminat ore nefas.

Fal-

Falleris: en proprio clamo *immutare* scelestè
 Nomine; ni facias diro acheronte *peris*.

Rumpere sitiam.

Cur tua sollicito diuexas membra labore ?
 Dura fames, sicco sæuit & ore sitis ?
Dum mihi longæuo remanebit vita superstes
 Semper ego *sitiam rumpere* vincla stygis.

Maturè perimis,

Christiadas sæua iugulat feritate Tyrannus,
 Tu prodi veritus saxa remota petis.
Nempe *maturè perimis* fugiendo Tyranum
 Cui foret aggresso cedere forsan opus.

Vt parem remisi.

Quos sibi supremos fasces cultoris eremi
 Arrogat, hos cælum indicat esse meos.
Accelerat gressum succensus amore videndi
 Quem sibi prælatum Numine teste tulit.
Cernit fatidicum, Geniumque fatetur Olympi
 Præ quo nec Monachi nomen habere queat.
Vt tamen huncce *parem* nobis virtute *remisi*;
 Sit magnus dignum est, qui minor esse velit.

Eripimus ratem.

Quorsum tam celeri passu festinus anhelas,
 Et pede cur patriam præcipitante fugis ?
Non tibi dulcis amor charorum, vincula nectit;
 Non domus auertit diuitis ampla patris ?

Qui

Qui mala non metuit mundi voluetur eiſdem:
His nos *eripimus* præcipitando *ratem*.

Reprimi metuas.

Quiſquis Chriſtiadas diro ſuccenſus ab orco
Pondere pænarum ter ſcelerate premis;
Cæleſtis *reprimi metuas* vltoris ab arcu,
Crede mihi grauiter vindicat ille ſuos.

Miſereri aptum.

Poſt ternos venio ſoles incertus ad antrum
Clauſas pulſo fores nec reſerare placet,
Supplex oro, minor fatum, tetrumque ſepulchrũ,
Nil precibus diris proficioque minis.
Siccine non noſti miſereri more Leonum?
Me *miſereri aptum* non miſerendo, ſcias.

Mirus pete mira.

Fracta quibus rectos vitiabat tibia greſſus,
Compoſitis agitant concita crura modis.
Quos cæcæ expuncto velabant lumine noctes,
Depulſis tenebris ſidera clara vident.
Extinctæ redeunt alijs modulamina vocis,
Alter diſrupta compede liber abit.
Nonnullis animæ ſuperas ducuntur ad auras,
His comes adijcitur iam tabefacta caro.
Vt ſua quiſque Deo nec inania vota litaret
Iuſſit, & impleuit iuſſa Dei ſoboles:
Aſt tibi præ reliquis, *mirus pete mira*, iubetur,
Talia, & euentus te petijſſe probant.



F I N I S.